BIBLIOTECA NAZ.
XVIII
B
13
NAPOLI

11
13

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
B
13
NAPOLI

Digitized by Google

XVIII
B.
13.

NICOLAI HIERONYMI
GVNDLINGII J. C.

IVS NATVRÆ AC GENTIVM

CONNEXA RATIONE
NOVAQUE METHODO
ELABORATVM
ET A PRÆSVMTIS OPINIONIBVS
ALIISQVE INEPTIIS
VACVVM.

Editio nova auctior & emendatior.

B. R. NAPOLI

GENEVÆ,
Sumptibus ANTONII PHILIBERT.
MDCCLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO

ILLUSTRI AC SAPIENTIÆ
LAVDE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

IOANNI ANDREÆ

DE KRAVT

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
BORSVSSIÆ REGI A CONSILIIS
TAM BELLI QVAM ÆRARII
INTIMI

*DOMINO SVO LONGE BE-
NIGNISSIMO*

NICOL. HIERON. GVNDLINGIVS
F.

Digitized by Google

A quo die mihi de fama cognitus es, DOMINE, iniecta mihi eſt cupiditas ad te ſalutandum, & declarandam Tibi, quibus poſſem modis, obſeruantiam atque affectum meum. Adeo tuum ingenium,

tuus candor, tua animi æquitas atque ſuauitas e longinquo lucebant, vt me quodammodo ad TE contemplandum coram & colloquendum acriter incitarent. Cui deſiderio cum parerem denique, atque indulgerem, quam acuta omnia, quam apta, quam miranda deprehendi! Vox, geſtus, oratio de rebus grauiſſimis, ſapientia in iis, quæ ad Rem-publicam pertinent, ſtudiorum non tantum, verum etiam ſtudioſorum amor præclarus ita me affecerunt, ut TE maxima cum reverentia cœperim diligere. Et hic autem non tam refrixit iudicio amor, quam manſit, & auctus eſt, quum frater tuus, cuius mihi acerba nuper & immatura mors vi-

viſa eſt, aditum ad TE aperiret commodiorem, & beneuolentiam mihi conciliaret tuam, beneuolentiam omni melle iucundiorem. Ea dulcedine ſemel atque iterum pellectus nondum potui quieſcere: adeo mihi prorſus placuit imago antiquæ & vernaculæ virtutis: tam mirifice lepor tuus omnes ſenſus capiebat, vt cum Halæ Saxonum eſſem, Berolinum cogitarem, cum litteris inuigilarem, Tui memoria recurreret, hoc eſt, dignitas, celebritas, gloria, & animo & conſilio parata prudentia. Proinde exiſtimationem aliquam accipere putabam, ſi neceſſitudini inſertus tuæ nouum fauoris pignus conſequerer, &, gremio exceptus tuo, eam in be-

nignitate conſtantiam nanciſcerer, quæ finiri, niſi tua morte, quam DEVS auertat longe, nequeat. Ex eo vero tempore, quanta propenſio in ore, quantum in facto erga me ſtudium, quam pari libra grauitas comitasque, quot argumenta, quot ſigna optimæ, quæſo, apparuerunt mentis & prolixiſſimæ in me voluntatis? Sane indignus tua gratia forem, ſi me ex animo vereque diligi quadantenus ambigerem: quum & noſtra fortuna ea videatur ac tua, vt ſimulandi cauſſa non ſit. De illo autem non poſſum non publice teſtari, TE, cum tota aula gratiſſimus ſis, & in procerum REGISQVE potentiſſimi deliciis habearis, feciſſe quoque, vt

&

& mea Muſa iiſdem innoteſceret, meumque in ingenuas litteras ſtudium maximis hominibus commendaretur, a quorum benignitate affectuque ſors noſtra pendet. Quis enim tot laboribus animum fatigaret, aut corpus adfligeret, niſi forent, qui nobis præberent adſenſum, qui excitarent languentes, excitatos fouerunt, & dicta denique noſtra auidiſſimis auribus exciperent? Qui ſine eius generis conſideratione incredibili labore in artium, licet honeſtiſſimarum, diſciplinas incumbant, vti rari ſunt; ita nusquam forte, niſi in diuiniſſimæ familiæ cœtu extra hunc orbem inueniuntur. Quamobrem mecum ſane perliberaliter egiſti, quando in

hac

hac parte me ſtudio ſatis mea ſponte flagrantem acrius inflammaſti, & in illorum conſpectum produxiſti, quorum nomina factis egregiis teſtata virtus cum æternitate coniunget. Ea ratione autem TV potiſſimum in cauſſa fuiſti, quare me ipſum a vulgata venalium magiſtrorum diſciplina liberatum maioribus rebus addixerim, nullique operæ parcens nova præſidia circumſpexerim, quibus ad decus, ad gloriam, ad mortalia contenderem. Quod ob eam cauſſam ſcribo, vt intelligas, cum Tibi me gratias agere, tum gratulari mihi plurimum, de benevolentia ſingulari tua, quod me dignum putaueris, quem innumeris be-

ne-

neficiis cumulares, & commendatione tua ornatum in luce collocares. Vtinam domus mea, aut ciuitas, vbi ſpiritum traho, abeſſet propius ab illa, vbi TV in laude verſaris, & REGI ſagaciſſimo dilectus ambulas, & largo ſinu opes ſapientiæ effundis, & conſilii plenus commercia, arte facta, pace belloque neceſſaria apte diſponis. Mihi crede, ſingulis ego diebus gratias Tibi perſoluerem, nomen tuum exquiſitis in hanc rem verbis celebrarem, eoque pacto & mihi ſatisfacerem, & publicæ rei, quæ vigilias laboresque Tuos merito ſuſpicit, ac TE florentem ingenio, honoribus, auctoritate, dexteritate præſtantem ſine in-

intermiſſione miratur. Quod aliqua tamen ratione ut conſequerer, feci nunc, quo ius naturæ ac gentium, quod in publicum emitto, Tuo inſcriptum nomini exiret, ne lateret quemquam, me laudum tuarum admiratione incenſum ſtatuiſſe aliquando, meam in virtutibus tuis prædicandis voluntatem oſtendere. Nullum mihi dubium hæret, quin neque TV DOMINE, neque alii ſint animum inducturi, ac ſi ficta tuam gratiam laudatione vellem colligere, Teneo iam illam: fruor benigniſſimo fauore tuo: id TVte ſcis, ego ſentio, ceteri vident, ad unum omnes, credo, intelligunt. Quidquid facio, ea fini a me fieri ſcito,

vt

vt mei erga Te ſtudii cauſſa veriſſima exponatur, TVque exiſtimes, me nihil maluiſſe, quam grati hominis ex hoc facto referre elogium. In hoc quippe genere gloriari iuuat: hoc ſolo laudem meam illuſtriorem fieri confido: hac circumdatus in muſeo meo ſedeo, & mortalitatem ante oculos habeo: a qua tamen adſerere me eius generis monimento ſpero, quod commemorationem Tuorum in me meritorum & pietatis ſolennem teſtificationem contineat. Id ſi obtinuero, ſatis me felicem exiſtimabo: nihil praeterea praeconii expoſco; non alium, ne quidem ſtudioſi ac diligentis hominis titulum adfecto. Quod ſi enim Tibi comparer,

rer, ſum deſidioſiſſimus: quid? quod etiam iſti, qui tota vita litteris adſident, collati Tibi, quaſi ſomno & inertiæ dediti erubeſcunt. Quis enim maiori animi contentione REGIS potentiſſimi vtilitates promouet? quis acriori induſtria PRINCIPIS demereri amicitiam ſatagit? quis pluribus occupationibus diſtrictus regni BORVSSICI opes, gloriam ac decora ſtudioſius amplificat? Verum tamen, ſi id TIBI propoſitum eſt, vt omnibus in rebus æque amabilis, æque iucundus ſis; permitte mihi, vt TE publicæ rei nomine compellem, ne irreuocabili in labore conſtantia valetudinem adfligas, & ſupremum diem indefeſſa induſtria

ſtria anteuertas. Hoc verbum mea in TE obſervantia exprimit, Tui caritas evocat, vox populi, vox REGIS, vox procerum, ſuſpiria familiæ, votum fratris amantiſſimi, amicorum communia deſideria ingeminari iubent. Nondum enim ſatis vixiſti. Quæ recitaui ad baſin monimenti, quod meditor, pertinent: ipſum marmor, quod nominis immortale decus, honores, bene merita, ac publica officia capiat, nondum in altum eductum eſt. Ergo viue, & ita rem auguſtiſſimi FRIDERICI WILHELMI cura, ne corporis obliuiſcaris Tui, quod eo firmius apparebit, quo moderatius laboribus perfungeris, eo diutius, adſpiran-

rante diuina gratia, durabit, quo magis mediocriter in faciundo opere perges. Quare rogo demiſſe, des operam, ne longius, quam par eſt, diligentiam extendas Tuam, aut bene agendo pecces. Vale & publico bono æternum perenna.

Halæ Magdeburgicæ
VIII. d. Novembris
CIƆ IƆ CCXIV.

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD LECTOREM PRIMA.

EMitto Jus Naturæ ac Gentium in publicum, nova methodo elaboratum, nova veſte circumdatum, repurgatum ab alienis, principiis ſolidis ac concluſionibus inde pendentibus connexum exemplisque variis illuſtratum. Non eſt difficile coaceruare variarum opinionum farraginem, de illis in vtramque partem diſſerere, atque hinc inde aliquid delibare. Faciunt id homines nulla ingenii iudiciique vi pollentes, eaque methodo admodum ſibi placent, quoniam tum in vulgaribus iuriſconſultorum libellis eundem morem obſeruant, tum etiam a teneris talibus lactucis adſuefacti aliam doctrinam

non adtingunt, quam quantum illa puerili inſtitutione ſe percepiſſe illiberaliter admodum recordantur. Non autem noſtrum eſt, tritas calcare vias, & inter ſordes, & incerta, atque perplexa trahere ſpiritum, ac mori denique in tuguriis contemptiſſimorum hominum, qui nihil eſſe addendum aliorum inuentis ſibi perſuadent, aut ob ingenii ſterilitatem addi poſſe aliquid deſperant. Quod non ea fini ſcribo, quaſi *Grotium*, *Hobbeſium*, *Puffendorſium*, aliosque in contemptiſſimorum hominum claſſe reponendos cenſerem: Conſtat illis ſua laus, conſequitur eos gloria immortalis; veneror amœnos vultus, commendo doctrina præſtantes libellos, nihil detraho virorum clariſſimorum famæ, eorum decora ipſemet præſentis ac poſtfuturi ſæculi civibus, non ſine grati animi teſtificatione, ante oculos pono. Sed hos vero flocci facio, qui ſubſiſtendum, vbi illi deſierunt, clamitant, humanumque ingenium ad extrema perueniſſe in hac diſciplina ſuauiter ſomniant. Quod ſi vnquam illud PLVS

VLTRA ingeminandum, in hac ſane arte repeti atque ingeminari poteſt, vbi ratio primas tenet, quæ ſemper actuoſa, ſemper vigens, nouoque motu animata ad ampliora ſurgit, nec etiam, niſi cum mundus inueniet finem, atque aliis illa rebus occupabitur, tandem aliquando quieſcet. Ex quo ſatis puto elucere, non eſſe mihi vitio vertendum, ſi poſt tot hominum labores, ipſe etiam ratiocinari pergam, & meditationes, quibus per aliquod temporis ſpatium ſum immoratus, ordine connexas in medium feram, viſurus, quid iudicet orbis, quando non amplius ab alienis iudiciis pendeo, ſed partes deſerens, nulla mihi lege dicta, a Zenonis, Chryſippiue placitis deſciſco. Nam etſi aliud ex alio comprehendimus, &, inter turbam veſtigiorum, aliquid ſemper diſcimus, atque, annis inter officia diuiſis, multa cum ceteris experimur; tamen non ſic me cancellis circumſcriptum ſentio ac puto, vt me ſimilem ducibus præſtare non liceat, qui non, quo miſerunt me illi, ſed quo duxerunt, eo vadoque. Id fateor, nihil fore ex decre-

tis mutandum, ſi iam teneantur omnia; & inoperta ac confeſſa veritas eſſet: at cum & nobis curioſum natura ingenium dederit, multaque reſtent, quæ alieno loco hæreant, quæue extrahenda tenebris ſint, nunc ſane veritatem cum iis, qui docent, quæro, præcluſa rimor, ſecretiora exquiro, plura euoluo, diffuſa ac confuſa in meliorem ordinem redigo, petita relinquo, relicta repeto, vt intelligant vniuerſi, nos communi bono operam dare, nec deſituros opem ferre ſingulis, adiuuare omnes, dum in actu erit ratio, quæ a prima ætate contemplationi veritatis nonnihil temporis conſecrauit. Quod quum facio, id certe præſtare videor, quod ab homine exigitur, vt nempe proſit aliis, &, vt *Seneca* loquitur, *ſi fieri poteſt, multis, ſi minus, paucis, ſi minus proximis, ſi minus ſibi.* Qui enim ſibi prodeſt, hoc ipſo de aliis bene meretur, quando ſe meliorem reddit, vt ubicunque occaſio ferat, & caligo oculis fugiat, inſeruire pluribus luculentiſſime poſſit.

Atque ne vero non intelligas, beneuole Lector, quo pacto vtilitatibus

tuis

tuis consulere adlaborauerim, attendas obſecro. Non hic totius practicæ philoſophiæ artificium apparet: iam tibi tradidi ethicam, & quidquid ad verum bonum intelligendum, humanam naturam cognoſcendam, affectus compeſcendos, virtutemque conſequendam pertinet, vtpote quæ te tranquillum efficiat, & ab inquiete ad otium traducat, atque a miſeria ad veram, internam, omnibusque numeris abſolutam felicitatem promoueat. Nunc vero ea tibi offero, quæ paci externæ conſeruandæ apta ſunt itemque neceſſaria. Nam quum toto vitæ noſtræ tempore laborandum ſit, vt beati efficiamur, & alternæ ſæpe bonorum, malorum, virtutum ac vitiorum vices deprehendantur; de regulis interea cogitandum eſſe nemo non videt, quæ externam ſtabiliant concordiam, atque ita in vnum componant mortales, vt nemo alterum tantiſper lædat, nemo violet pacta, aut, ſi ſecus fiat, vnusquisque intelligat, eiuſcemodi hominem omnium eſſe pernicioſiſſimum, &, quantum in ſe eſt, eo maxime procliuem, vt ſumma

miſceantur imis, quadrata rotundis. Quæ conſideratio in cauſſa fuit, quare primi principii loco ſtatuerim, quærendam eſſe pacem externam, vbi haberi poteſt: eo omnia capita, omnesque concluſiones retuli; iſtud ad omnes actus accommodaui; &, quod ſilentio præteriri non debet, omnibus ſtatibus aptaui, in quibus vel libertas regnat, vel imperium viget.

Ea ratione autem id mihi obtinuiſſe polliceor, vt nunc appareat perſpicue, non eſſe ius gentium a iure naturali diſtinctum, ſed integris duntaxat gentibus, quæ in libertatis ſtatu degunt, applicatum, rationi rectæ inſcriptum, idem ac ſimile legi, quod natura pandit, ſed quod Doctores parce admodum liberorum populorum actibus cauſſisque adaptaſſe deprehenduntur. In quo an recte ſim verſatus, ii potiſſimum iudicent, qui intelligunt, nec inuidia pleni aliorum ſcripta liuidis fere oculis adſpiciunt. Vidi etenim, non potuiſſe ſibi temperare hominem aliena laude tabeſcentem, vt ne doloris ſui ſignum dare, antequam in publicum exiret præ-

ſens libellus. Scripſit ad nouellarum litterariarum conditores, qui Hagæ Comitum vivunt, & maleuolis quibuscunque id præſtant, vt impune apud ſe obtrectare, & infrunitos ſermones, ipſorum interuentu, ſpargere in vulgus poſſint; ſcripſit, inquam, me aliorum cogitata compilare, ac, pace externa pro principio conſtituta, feciſſe, vt non tam re, quam verbis a *Puffendorfio* diſſidere videar. Quod quam ſit abſonum, non ſolum in ipſa tractatione oſtendi, verum etiam nunc oſtendam euidenter, vt reſciſcat orbis, quam ſit male docti homuncionis ſcæua invidentia, quam impudens conatus, quando deligare oculos, aut effodere ceteris ſatagit, ne videant ſolem, neve veritatem, antequam legerint noſtra, comprehendant. Et verum autem eſt, nos pacis externæ cuſtodiam in hac diſciplina inprimis commendaſſe. In hoc recte rationes ſubduxit: id ſolum a mendacii labe remotum eſt. At cum easdem me cum *Puffendorfio* tibias inflare contendit, ſplendide falſus eſt, & cum eo ceteri, qui, reconcinnato mendacio, iniqua ratione permiſerunt, vt alieno eadem in

ſundo contemptiſſimum caput deblateraret. Quis enim neſcit, *Puffendorfium* ſocialitatis ſpecioſo nomine virtutem, ius, prudentiam concluſiſſe, ac confuſioni non ferendæ feneſtram aperuiſſe? Ea omnia atque ſingula ego ſeparo, probe gnarus, non eſſe ſemper bonos, qui concordiæ externæ operam dant, nec prudentiſſimos continue, qui pacificatum veniunt, aut rigidæ virtutis laudem ſectantur. Quæ omnia cum ſeorſum queant inſpici, ac ſigillatim ſæpe in ipſis hominibus obſeruentur, induxi animum, non poſſe vniuerſa ſub vno principio collocari, ſed, ſingulis demum rite perpenſis ſingularem eſſe diſciplinam conſecrandam, ne, quod virtutis eſt, & ex amore profluit, in vita humana tanquam debitum exigatur, eoque imperio, vi, metu, malo adducantur mortales, quod non coacti, & virtutis impulſu, ac prudentia prælucente ſuſcipere ipſimet videntes volentesque debent. Vix enim fieri poteſt, vt ii, cum quibus vel in libertatis ſtatu, vel ciuili ſocietate vna viuimus, omnium perfectiſſimi vno momento efficiantur. Vt ſunt in virtute gradus, ita in felici-

felicitate humana primum, medium, ac ſummum invenitur. Quod poſtremum cum pauci adtingant, fas eſt conſiſtere in tertiis, & ex hypotheſi ſtabilire fundamentum, cui omnes innitantur, quoque, veluti lydio lapide, in actionibus externis vtantur vniuerſi, boni, malique, ſiquidem verſari inter æquales, & locum tueri inter cives, & cum illis ad finem communem, qui eſt tranquillitas externa, pervenire ſatagant: virtute interea ſeparatim poſita, qua ſeſe ornent, qui volunt, qua ſe expoliant, qui apparere perfecti, qua ſe muniant, qui ab animi perturbationibus tuti, a vitiis liberi, pleniſſimeque quieti ex hac ſecum vita abſolutiſſimam aſportare pacem felicitatemque contendunt. Tantum id a diſſentientibus dari mihi poſtulo, non poſſe hac in vita, multo minus in civitate homines ac cives ad vnum omnes ad virtutem traduci: ſat eſt, vti jam monuimus, ſi pacati vivant, ſi neminem in ſanitate, vita, fortunis lædant, neminem decipiant, fidemque, quam dederunt, ſanctiſſime ſervent. Cetera vniuscujusque induſtriæ & prudentiæ

relin-

relinquuntur, cui DEVS ſua gratia ſuccurrat, ſuis viribus adſiſtat, eam prouehat, ac fortiorem & invictam denique robore ſuo efficiat. Quod ſicuti copioſe in ethica, ſeu philoſophia morali demonſtratum dedi; ita neceſſe non habemus, vt pluribus verbis id exponamus denuo.

Igitur ad alterum accuſationis caput venio, quando non aliam mihi gloriam nomenque homo invidus, quam compilatoris decernit. Sed hic vero rogantur, qui intelligunt, omnes, vt, quæ ſcripſi, inſpiciant: patebit calumnia: in oculos incurret detrahendi ſtudium: elucebit primo obtutu mentiendi lubido. Quis *compilare*, niſi ſit impudentiſſimus, appellat, quando veritates nonnullæ, quæ ſparſim apud alios occurrunt, novo vinculo connectuntur? Eo ſenſu *Grotius*, *Puffendorfius*, *Titius* aliique compilatores erunt. Sed ego vero in plurimis a celeberrimis Iuris naturalis Doctoribus diſſentio: multa improbo, varia in meliorem ordinem redigo, nova addo, non demonſtrata demonſtro, aliud plane σύστημα conficio: vtut, quod ſinceri hominis eſt, non diſſimulo, quibus luminibus profe-

profecerim, in quo aliis conſentiam, in quibus diſſentiam. Potuiſſem ſane aliorum reticere nomina, & mea dicere omnia, quia nova prorſus methodo ita ſingula connexui, vt novum apparere poſſit totum corpus, totus habitus, totum εἶδος. At ſcio aliorum artes: peruideo, quæ teneant, arcana. Aliud illi idioma adhibent, pro ſuis omnia venditant, gloriantur, ceteros quorum cogitata ipſimet, veluti ſimiæ, adoptant, ſpernunt, ac faciunt, vt ipſis quidem applaudant nonnulli, ſed rerum imperiti, ſed ſemidocti, ſed amici, ſed inuidiæ & calumniarum ſocii ac conſortes. Quorum applauſum vti nihili facio; ita doliturus eſſem profecto, ſi talis mihi turba adclamaret, atque incondito ſermone famam meam ad ſui ſimiles propagaret. Sufficit, ſi pauciſſimi, quos virtus ac ſapientia a vulgo ſeparat, mihi have dicant, & publicis me inſervire commodis fateantur convicti. Vnum addo, fuiſſe nonnullos, qui copioſiorem, quam dedi, meditationum mearum expoſitionem deſiderarent. Quorum votum ſicuti non damno; ita prius perpendant precor, me in vſum auditorum,

rum, quidquid eſt, conſcripſiſſe. Interea tamen vix ambigo, quin etiam ii, qui me docentem non audiunt, facile intelligere, &, ſi attendant, detegere veritates ſingulas ac poſitionum omnium ſenſum poſſint; niſi quidem ignari penitus, aut pueris videantur ſimiles, quibus perarduum apparet, ſpinoſum, ſcopuloſum, quod planum, euidens, nullisque difficultatibus impeditum peritioribus cenſetur. Et illius autem ætatulæ vtilitatibus, vti mea non deſtinavi; ita non eſt, quod me purgem, & noxam, cuius arguor, in eorum inſcitiam vertam. Non eſt artis, repeto, conſarcinare permulta, adducere teſtimonia, diſtendere periodos, diuagari, hac atque illac currere, decidere nihil, turbare omnia, miſcere. Prehendant, qui conqueruntur, calamum, & diffuſe dicta in arctum compingant; ſua, aut aliorum cogitata in ſynopſin contrahant, & forte elucebit confuſio, forte perſpicient ipſi, quam cogitauerint nihil, etſi nonnihil ſcripſerunt, etſi copioſiſſime perorarunt. Adeo difficile eſt, inuenire veritatem, eam probare, probatum illuſtrare, ex veritate percepta nouas educere, vt, quam

quam fœcunda ſit una veritas, cognoſcatur. Illud toties teſtor, tali me confuſionis genere non delectari: quamuis id mihi ſumam, adfirmemque, me ingentem librum confecturum citius faciliusque, quam eiuſcemodi libellum, in quo iuncta apparent vniuerſa, & vna ſerie connexa, indubitata collecta, confeſſa compoſita, & dubia illuſtrata. Aliqua, fateor, quæ alii ſuis inſeruêre libellis, ſtudio omiſi. Non hic apparet doctrina de interpretatione, vtpote quæ ad Logicam potius, & certa ratione ad Grammaticam pertinet. Officia erga ſe ipſum in Ethicis pertractantur: officia erga bruta iis relinquuntur, quibus volupe eſt, diſquirere, quid ſapienti in anſerem liceat, aut gallum gallinaceum, aut cercopithecum: nos ſolliciti ſumus, quid pacis externæ vinculum rumpat, quid non. Mortui autem, vti non ſunt; ita nihil cum iis negotii nobis eſt. Quod ſi inſepulti relinquantur, aut tali loco condantur, vbi aliis fœtore ſuo nocere poſſunt, non tam iis iniuria fit, quam aliis, qui vivunt, inque eum dolus, aut culpa redundabit, quia ut parum prouide, aut malitioſe aliis nocet; a

quo-

quorum capite auertere damna, malaque, quoad fieri poteſt,obligatur. Plura non moneo. Quid ſi ſint, quibus præſtitiſſe, quod volui, non videor, illi cum *Seneca* exiſtiment, *ſtudiorum ſalutarium, etiam citra effectum, laudandam tractationem eſſe.* Quæcunque in chartam conieci, ſcripſi,

- - - - - ut cito dicta
percipiant animi dociles teneantque fideles.

Si DEVS vitam atque otium largiatur, forte maiori ſtudio adornabo commentationes, quarum hæc duxi lineamenta. Sed vix tamen cauſſam habere puto *Lectores*, vt bona contemnant verba, hasque bonis cogitationibus plenas pagellas. Ceteris, quibus expedit, neminem videri bonum, neminem peritum, neminem philoſophum, neminem Iurisconſultum, in aurem dico, eos iam in ſeipſos animaduertiſſe graviter, totque diſtrahi crucibus, quot cupiditatibus. Si quid etenim cerno, ſane maleficis iſti ſimiles videntur, qui, *Seneca* auctore, e patibulo ſuo ſpectatores & circumſtantes quoscunque conſpuunt. Scripſi *Halæ Magdeburgicæ* ipſis Kalendis Novembris cIↄ Iↄcc xiv.

PRÆ-

PRÆFATIO NOVA.

Non ſunt mihi verba facienda copioſius; quare ius naturæ ac gentium denuo ſubdiderim prelo. Optant enim ad vnum omnes, vt, quæ ſunt dicta abſciſſe, dilatentur pauliſper, & quæ mutari in melius poſſunt, mutentur, & quæ connecti arctius queunt, connectantur certe. Quod ſicuti mihi propoſitum fuit, vt & ii, qui auditores mei non ſunt, inde aliquid capiant vtilitatis; ita feci, ne probatis deeſſent exempla, neue, rationibus aliquando ſilentio preſſis, dubius redderetur Lector. Etiam addidi nonnulla in priori editione omiſſa. Quis enim in tanta rerum copia, inque infinito problematum ac quæſtionum numero nihil omittit? quis omnia pro merito expendit? quis non in dies ipſemet maiori cognitione beatur? inprimis, ſi in cathedra conſiſtat, & omnibus diebus eius generis rebus occupetur, nec, quæ aliorum luminibus patefiunt, poſthabet. Si quid temporis mihi ſupereſſet, magnum ſane volumen eſſem inde confecturus; poſteaquam tot veritates in vnum ſunt traductæ, atque inter ſe, coaſſatione forte non inepta, coniunctæ. Sed aliud iam ago ac prudentiæ ciuilis σύστημα meditor ac ſcribo; DIGESTA *mea perpeti ſolicitudine continuo;* GVNDLINGIANA *opuſcula nondum dimitto, quod iis ſit in*

autem

aurem dictum, qui me otiari forſitan credunt, ſimul-atque, quod Pandectæ cohærente filo in tabernis comparuere nondum, vehementer coaxant. Exſpectent parumper, rogo, nec me mihi ſoli viuere cogitent: qui, præter ſpem, ſæpius ad alia trahor, atque hiſce modo negotiis applicor, modo illis aliquandiu adhæreſcere cogor: vt taceam, quam me ſtimulet ſtudioſorum numerus, vt me in hanc illamue diſciplinam infundam, quam alioquin neglecturus eſſem tantiſper, niſi & eorum obſecundandum deſideriis foret, qui eo fine ad nos commeant, vt, tanquam ex mercatu varias merces domum reportent. Hæc moræ cauſa eſt, quam aliorum negotiorum moles gignit, non autem ignauia creat: ſed quæ ab humeris, quoad fieri poteſt, meis remouebo, vt muſarum commercio minus impedite frui & vacare quieti liceat, atque tandem aliquando mecum tantum & cum libellis meis detur loqui. Faxit hoc Deus immortalis, vireſque ſuggerat, vt a ſummo lucis ortu ad ſolem occidentem vsque voluntatis quadam perpetuitate laborare queam, ſicque ad implenda promiſſa idoneus reddar; ne mihi ogganniant imperiti, quid agis? eccur non ſtas promiſſis? cum tamen nemo ſibi ipſi obligationem ſoleat imponere.
Halæ Magdeburgicæ *ipſis Kalendis Aprilis* cIↄ Iↄcc XXVIII.

VIA

V I A
AD VERITATEM IURISPRUDENTIÆ NATURALIS

PRÆEVNTE

NIC. HIER. GVNDLINGIO.

Juxta Exemplar

ANNO cIↃ IↃCCXXXVI.

Digitized by Google

CAPUT I.

DE LEGE

Et quæ ad illam reſpicit

IVRISPRVDENTIA NATVRALI

EIVSQVE EFFECTIBVS.

§. I.

HOMO appetere poteſt & velle, actuque appetit & vult. Animantium appetendi norma inſtinctus naturæ videtur: hominibus lex alia poſita eſt, ratione dignoſcenda.

§. II.

Sicuti enim nihil eſt, quod non agat, agaturque ſecundum *modum certum*; ita tam Philoſophi, quam Poetæ de *lege æterna* mentionem faciunt. Solus homo modum ſibi præſcriptum intelligit, & *naturæ impulſus* ratione temperat, ſicque legem ſuam (*) ſequitur.

(*) Juriſconſulti Romani ſimiliter diuerſis viſionibus legem, ſeu ius naturæ conſiderant. VNA, quod natura omnia animalia docet, *ius naturæ* dicunt;

ALTERA, quod vnumquemque naturalis ratio docet, *inque ratione conſicitur*, ceu TULLIUS loquitur. Cumque gentes conſtent ex hominibus, hinc ius iſtud in ratione confectum juris architectis ſæpe numero *ius gentium* appellatur.

§. III.

Lex a *ligando* licet in idiomate latino nomen non habeat, ſed a *legendo*; certum eſt tamen, adſtringi homines, eorumque appetitionibus neceſſitatem iniici, ne a ſcopo & fine ſibi propoſito abludant.

§. IV.

Auctor primæ huius & vniuerſalis legis Deus eſt, de cuius exiſtentia & perfectionibus in *Ethica* cap. VII. copioſe egimus. Vnde ἀβλεψίας rei ſunt vitio mihi vertentes, me de Deo hac in diſciplina nihil præcepiſſe.

§. V.

Medium, quo nobis innoteſcit ea lex, recta ratio eſt; inepteque ſuperſtitioſi eſſent, qui hac parte rationem non exiſtimarent rectam. Aliud ζήτημα videtur, an nihil aliunde velut ſupplementum poſſit adiici? Quod permitto; ſed tum *reuelatio altera*, quæ fit per ſcripturam ſacram, incipit; ſicuti nec eo referenda ſunt, quæ *ius arbitrarium*, ſeu *ciuile* addit. In quibus vero *ſcriptura* atque *lex ciuilis* cum ratione conueniunt, in illis *rationi* primæ deferendæ ſunt partes. Quod illi ſine negotio intelligent, qui tenent, bis

qua-

quatuor facere octo; ac proinde, ſi eadem enunciatio occurreret in ſcriptura, aut corpore iuris, abſonum foret certe, ſtatuere, hanc ueritatem non e rationis fonte, ſed *ſcriptura ſacra*, vel *lege Romana* eſſe petendam. Id verum, conſpiraturum hac parte verbum diuinum & ius Quiritium cum diſciplina numerorum. Immo non poteſt non concordare, quia illa enunciatio eſt veritatis vniuerſalis atque æternæ, cuius *Deus quoque* eſt auctor, qui ſibi nunquam inuenitur contrarius. Applicatio facilis eſt.

§. VI.

Et ſummum Numen vero nec pro arbitrio præcipit, quod præcipit, nec ex mera voluntate prohibet. Eſt id infinite ſapiens ac ſumme bonum.

§. VII.

Sapiens rem ipſam intuetur, & naturam uniuscuiusque rei contemplatur, atque ei congruenter decernit.

§. VIII.

Ergo etiam DEVS, qui res omnes ſuis ponderibus & proportionibus inſtruxit & diſtinxit, ac naturæ humanæ ſuam menſuram dedit, ei quoque, quia conſtantiſſime ſapiens eſt, conuenienter præcipit, atque ex conſequenti immutabilem legem dicit. Vnde quæ de mutabilitate iuris naturalis in medium feruntur, meræ tricæ ſunt, aut nugæ.

§. IX.

Nec minus, ſed ſua ſponte ſpinoſa alias quæſtio intelligitur, detur-ne actio antecedenter ad voluntatem diuinam bona, an ſecus? Nunquam enim intellectus & voluntas diuina ſeparari debent. Præcipit DEVS talia, quæ proportioni humanæ naturæ congruere videt: & videt autem, quia ſapientiſſimus, & vult quoque, quia perfecte bonus eſt.

§. X.

A perfecte bono autem vt ceteræ bonitates omnes manant; ita idem nihil, niſi bonum, hominem quoque ſectari iubet.

§. XI.

Itaque & leges mortalibus datæ bonæ ſunt atque vtiles, eorumque naturam *conſeruant* & *perficiunt*.

§. XII.

Naturam conſeruare & perficere ſignificat felicem reddere.

§. XIII.

Felicitas quietem & indolentiam continet.

§. XIV.

Quies & indolentia vel interna eſt, vel externa.

§. XV.

Interna in libertate & vacuitate prauorum affectuum conſiſtit, ſimul atque externam complectitur; non hæc viciſſim illam.

§. XVI.

§ .XVI.

Qui enim intra mentem nulla appetitione inconcinna vrgetur, non etiam in externos actus quieti & rectæ voluntati contrarios erumpet.

§. XVII.

Igitur honeſtum comprehendit quoque iuſtum, & decens. Honeſtum iniuſtum & indecens σιδηρόξυλον eſt. Quod ita intelligendum, vt qui interne quietus eſt, eoque *honeſtus* ac virtutis *honore* conſpicuus, ſimul quoque obſeruare cenſeatur, quod eſt minus. Perfectiſſimum enim virtus eſt: de qua in *Ethica* fuſius.

§. XVIII.

Sed honeſtum vero, id eſt, ſolida virtus non vno actu halituque obtinetur: ſemper aliquid in appetitionibus noſtris poliendum & viribus diuinis perficiendum reſtat: & interea tamen cum aliis vna ſumus & eſſe quoque debemus.

§. XIX.

Itaque haud male agunt, qui legem naturæ in *abſolutam* & *hypotheticam* diſtinguunt.

Laudetur *Heumanni* diſſertatio moralis de diſtinctione iuſti & honeſti.

§. XX.

ILLA homini præſcribit, quæ ad honeſtatem *omnibus numeris abſolutam* pertinent: eaque in *philoſophia morali* ample ſunt expoſita.

Poſſet obiici, nos alias *philoſophiam moralem*, ſeu ethicam ſtricte circa actiones honeſtas verſari ſcripſiſſe; nunc autem latius eam extendere, vt iuſtas quoque comprehendat. Sed reponitur: manere verum fixumque, honeſtum complecti quoque iuſtum, utut iuſtum & honeſtum poſſunt ſeparari ac doctrinæ diſtinctioris & perſpicuitatis gratia iuſtitiæ regulæ, &, quæ inde permanant, concluſiones ſeorſum proponi. Vno verbo: Omnis vir honeſtus eſt iuſtus, ac decens; ſed non omnis iuſtus ac decorus eſt illico honeſtus, ac perfecte ſapiens. Quod non intellexit Doctor Gallus *Balth.* Branchv *obſervat.* c. XIV. Vnde patet, diverſas *relationes* facere, vt philoſophia moralis modo latius extendatur, modo vniuerſim tractetur, modo ex parte ante oculos conſtituatur.

§. XXI.

Hæc naturam aberrantem & affectibus obnoxiam ponit, adeoque quæ ad *externam* felicitatem & quietem conſeruandam pertinent, præcipit primario; ita tamen, vt nec reliqua ſuo tempore ſint poſthabenda.

§. XXII.

Quod ſi enim homines omnes mutua charitate ac honeſtate forent præditi, eiusque abundantiam ſub pectore geſtarent, non aliis ſane præceptis opus eſſet; nec dubium, quin nemo alterum conſulto animo ſit læſurus. At, cum ea *vulgo* a mortalium vita moribusque exulet, hinc externa felicitate & quiete obtenta *tantiſper* contenti ſumus, eiusque conſeruandæ rationes maxime vrgemus donec *honeſti* amoris integræque ſapien-

tiæ

tiæ ſuauiſſimi fructus in vnoquoque ſeſe exſerant.

§. XXIII.

EXTERNA FELICITAS relationem continet, nec ſine aliis hominibus mente concipi poteſt : quemadmodum nec infelicitas externa, vbi vel turbamur ab aliis, vel ipſimet alios turbamus, ſine eiusmodi viſione intelligitur. Quæ ad *emendationem* internam vniuscuiusque hominis ſingularem pertinent, alterius iterum loci ſunt ac diſciplinæ.

§. XXIV.

ALII autem *homines* vel imperio communi ſunt ſubiecti, vel in libertate agunt.

§. XXV.

Vtrique ſocii ſunt. HOS NATVRA coniunxit, illos ARS, ſeu *pactio.*

§. XXVI.

Cum ſociis eſt viuendum. Viuere autem prorſus non poteris, adeoque nec conſeruare naturam, nec frui humanitate, niſi vnicuique relinquas libertatem externam, & iura vel *natura*, vel *facto humano* competentia.

§. XXVII.

Tantum inueſtigandum eſt, vtrum tam lex naturæ abſoluta, quam hypothetica rationem *legis proprie* dictæ habeant, an contra?

§. XXVIII.

Lex enim proprie dicta, ſecundum diſſentientes, *iuſſum imperantis ſimul-atque pœnam,* ni

ni pareant ſubiecti, externam, arbitrariam præſentem, aut ſequentem inuoluit; vti improprie dicta ſuaſionem moralem ſolam & pœnam naturalem.

§. XXIX.

Iam vero, aiunt, certum eſt, omnes leges naturales eſſe etiam *veritates* morales; has veritates neceſſariam cum ipſa natura humana connexionem oſtendere, nec a voluntate, ſed intellectu divino ſapientiſſimo procedere; ad veritatum autem cognitionem non imperio opus eſſe, ſed attenta conſideratione: hinc atheum quoque, quemadmodum iam *Grotius* vidit, eas, vti alias geometricas veritates, cognoſcere, utut fontem & autorem illarum ignorat. Vbi autem imperium externe cogens ceſſat, ibi etiam *legis proprie dictæ* ideam vaneſcere: hanc enim iuſſum, ut diximus, imperantis eſſe ſuam vtilitatem reſpicientis, & ſeuere vindicantis, ſi quid contra fiat.

§. XXX.

Sed ego vero ob has rationes non deſerendum vadimonium exiſtimo. Eſt enim exploratum, DEVM non ſolum ab homine exigere, vt veritatem vtriuſque legis, abſolutæ puta & hypotheticæ, *intelligat*, ſed etiam *effectui det atque ſollicite exequatur*.

§. XXXI.

PRIORI reſpectu omnis lex veluti veritas, dogma, conſilium, paternumque monitum con-

conſiderari poteſt : quod iam *Puffendorfius* obſeruauit.

§. XXXII.

POSTERIORI *legis proprie* dictæ habitum nomenque induet.

§. XXXIII.

Quidquid enim Deus ſerio & ſeuere vult, illud etiam ſeuere præcipit, & quidem cum imperio, ac, quia potentiſſimus, ſimul atque iuſtiſſimus, mali cuiuscunque vindicem agere certe poteſt.

§. XXXIV.

Quod IMPERIVM DIVINVM ſicuti nemo negat; ita dubitari nequit, quin vtile admodum ſit, ac *certo ſenſu* neceſſarium, vt timori miſeriæ naturalis iungatur timor iræ diuinæ ac pœnarum arbitrariarum, qui in Atheo non obſeruatur, ſicqne homini noua neceſſitas, hoc eſt, non obligatio tantum *interna*, ſed *externa* imponatur exequendi, quod DEVS per rationem homini reuelat ac manifeſtat.

§. XXXV.

Secus etenim ſi faxint mortales, pœna non ſolum eos naturalis manebit certa; verum etiam arbitraria inſequetur: quamuis non tam facile arbitraria diuina, quam humana percipiatur, aut peccantes a tergo inſequatur. Sufficit, *tarditatem* ſupplicii *grauitate* ſæpiſſime compenſari, omnesque ea ratione pœnas ſingulares in vna tandem GRAVISSIMA coniungi.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Cui non obeſt, quod Legislatores humani propriam vtilitatem reſpiciant. Eſt enim id non prorſus verum, ſed potius character tyrannorum, non iuſte ac cum bonitate imperantium: vt taceam non ſuffecturum id rationis, quamlibet ſuperiores omnes inter homines ſuæ duntaxat vtilitatis forent ſtudioſi, vt legis proprie dictæ idea a diuinis exulet. Merito enim Deo adſcribitur mens, intellectus, etſi in cerebro, quemadmodum homines, non cogitat.

§. XXXVII.

Ex quo concluditur, nihil obſtare, quo minus vtraque lex naturalis LEGIS nomen in *ſignificatu recepto* retineat.

§. XXXVIII.

Concluditur quoque, non videri iam neceſſe, vt lex in proprie & improprie dictam ſecetur. Neque enim vlla lex humana rationabilis ſine doctrina eſt: vtut non ſtatim omnibus ſine diſciplina pateſcit. Vno verbo: latet in omni lege proprie dicta etiam improprie dicta, hoc eſt, *veritas*, ſeu *dogma*.

§. XXXIX.

Nec movet, hominem ſapientem neceſſarium ſemper bonum malumque ante oculos habere. Quid enim impedit, quo minus etiam arbitrarium malum vereatur, & arbitrarium bonum a datore omnis boni

una

una cum neceſſario ſimul expectet? Homo ſapiens non, ut DEVS, conſtanter ſapiens eſt: abludit interdum a via. Hinc reducendus, & terrendus eſt, hinc itidem de nouo alliciendus. Vnde recte rationes ſubducunt, qui iuſto non eſſe poſitam legem, hac addita cautione, adfirmant, quamdiu manet iuſtus. Quid vero ſi recedat a via, ſi affectibus aliquid indulgeat? Quocirca πρῶτον ψεῦδος in eo potiſſimum latet, quod *Vir ſapiens* in abſtracto ſine vlla immutatione, non autem, vti nunc inuenitur & in *concreto*, integre a diſſentientibus ſpectetur.

§. XL.

Sed bonum factum! Reſpicit naturæ legem iurisprudentia naturalis. *Ius* enim & *lex* hic idem ſonat.

§. XLI.

Sed complectitur ea legis tantum *hypotheticæ* cognitionem & congruam ad facta applicationem, quod officium eſt iuriſconſulti & prudentis, a quo iuris peritia leuiter tinctus vtique differt.

§. XLII.

Dico *hypotheticæ*. Iam enim practicæ Philoſophiæ partem, quæ noſtram naturalem & rationalem iurisprudentiam complectitur, explicamus, & præcepta ad pacis, quietis & felicitatis externæ conſeruationem pertinentia; itemque concluſiones inde permanantes, quæ tam in ſtatu libertatis, quam impe-

Digitized by Google

imperii frequentem vſum præſtant, eo duntaxat referimus. Vnde quoties de *naturæ lege* neceſſaria loquimur, hanc intelligimus.

§. XLIII.

Hæc naturæ lex fœcunda eſt, viua, nec ſine actuoſa efficientia. Hinc virtutes eius conſiderandæ omnino, quæ ſunt *ſuadere*, *hortari*, *præcipere*, *vetare*, *punire*: quoniam ſapientiſſima æque eſt ac iuſtiſſima.

§. XLIV.

Permissionem omiſimus, quia hæc vel ſub præcepto, vel prohibitione latet. Quod non eo modo capiendum, ac ſi negarem, poſſe legem quoque admitti permittentem. Mea ſententia eſt, *præcipientem*, vt hoc iſtudue fiat, *permittere* quoque, ut obligatus exequatur præceptum: ac *prohibentem* permittere itidem, vt a prohibito abſtineatur. Deinde dum *permittitur*, vt aliquis agat hoc, aut iſtud agat, aut non agat; iterum adeſt *præceptum*; vt omnes libertatem agenti indulgeant, ſimul atque *prohibitio* intelligitur, ne quis agentem impediat, aut *abſtinentem* cogat.

§. XLV.

Eædem legis virtutes efficiunt, vt in homine oriatur *obligatio*.

§. XLVI.

Obligatio libertatem noſtram circumſcribit, noſque ad voluntatis diuinæ impletionem manu ducit.

§. XLVII.

§. XLVII.

Quæ in internam & externam diſpeſcitur.

§. XLVIII.

Interna propriam utilitatem neceſſario cum hominis natura connexam, itemque timorem damni neceſſarii pro fundamento habet.

§. XLIX.

Externa vtilitatem & iacturam ab alieno arbitrio dependentem.

§. L.

Hic vtraque occurrit, & attendenda eſt. Homines enim non male & damnum neceſſarium & arbitrarium timent, *vtilitatemque* neceſſariam & *arbitrariam* affectant & ſperant. Vtraque enim nos indolentes præſtabit, nec ſeparari vna ab altera commode poterit.

§. LI.

Obligatio connata a natiuitate eſt, nec obligati *expreſſo*, nec etiam *tacito* conſenſu nititur. Ita obſtrictus ſum, ne quem ſine cauſſa lædam; etſi nullum pactum interceſſit, nullum etiam conſenſus noſtri indicium anteceſſit.

§. LII.

Acquisita viciſſim obligati conſenſu fulcitur.

Dicatur de iis, qui aliis vocabulis vtuntur & obligationis veræ præſumtæque mentionem faciunt.

§. LIII.

§. LIII.

Prioris conſideratio modeſtiæ; *poſterioris* iuſtitiæ nos admonet.

Confer, quæ de binis hiſce æquitatis ramis in Ethica noſtra p. *66. 69.* & *70.* diſſeruimus.

§. LIV.

Perfecta obligatio, quæ pleniſſime noſtram libertatem limitat, ſola obligationis nomen meretur. Imperfecta obligatio non eſt; niſi verbis ludas, &, quia non semper *perfecta charitas* vitio hominum vrgeri poteſt, *imperfecte* nos obligari contendas.

§. LV.

Vt vero effectus legis naturalis primarius obligatio eſt; ita eadem certo modo ivs operatur.

§. LVI.

Qui enim debet aliquid facere, vel non prohibetur, is quoque ius agendi habeat neceſſe eſt, vti, qui prohibetur agere, ius habet abſtinendi.

§. LVII.

Vbi obligatio, ibi ab altera parte ius eſt: non autem vbi ius, ibi *ſemper* obligatio. Poſtremum intelliges, ſi hominem in *ſtatu bellico* conſideres, aut ſaltem *periculo*, vbi de ſua ſolum conſeruatione eſt ſollicitus. Ita in bello vnicuique belligeranti competit ivs cogendi alterum; neuter autem obſtrictum ſe ſentit, cogi vt ſe patiatur, aut indefenſus pereat.

§. LVIII.

§. LVIII.

Ivs *libertatem*, ſeu facultatem & potentiam activam ſignificat: *Grotius* ADTRIBVTVM perſonæ dixit.

§. LIX.

Libertas remotionem impedimentorum, vel cum, vel ſine legis auxilio ponit.

§. LX.

Hoc IVS in *acquiſitum* & *connatum*, in *perfectum*, & *imperfectum* diſpeſcitur.

§. LXI.

CONNATVM a natiuitate & a DEO eſt. Sic natura liberi ſumus: ſic primi homines ex communi vivebant, &, quod volebant, vſibus ſuis applicabant.

§. LXII.

ACQVISITVM ex facto humano venit, vt imperium, itemque dominium.

§. LXIII.

Ius PERFECTVM, quod vrgeri poteſt, ſolum ius eſt: ius imperfectum repugnat; niſi rurſus vocabulis pugnes, &, quod præter coactionem externam poſcitur, ius imperfectum minus congrue appellites.

§. LXIV.

De jure interno nulla mentio facta eſt, quia homo non gaudet plena libertate interna, utut externa.

§. LXV.

Qui ius inuito vel ex parte, vel in totum temere adimit, ei iniuriam facit.

§. LXVI.

Hinc volenti non fit injuria, niſi lex factum prohibeat.

§. LXVII.

Iniuria partim ex immodeſtia craſſa, partim iniuſtitia oritur.

§. LXVIII.

Iniuriam vero coercet & cauet lex naturalis, vtpote rationi & conſeruationi humani generis prorſus contrariam.

§. LXIX.

Ab hac lege non differt lex gentium, ſeu ius, quatenus pro lege ſumitur. Primus hanc veritatem *Hobbeſius* vidit, atque ex eo *Puffendorfius*.

§. LXX.

Neque enim hoc aliud eſt, quam lex naturæ integris gentibus applicata; adeoque vel *abſolutum* quoque, vel *hypotheticum*.

§. LXXI.

Ex quo clarum fit, ius gentium non eſſe mutabile, non humanum, ſed diuinum, quia eſt naturale; ac naturale ſicuti neceſſarium, ita mutationis expers eſt.

§. LXXII.

Pòſterius inde potiſſimum probatur, quod gentes inter ſe ſunt pares, nec ſuperiorem & ex conſequenti Legislatorem communem, præter DEVM, agnoſcunt.

§. LXXIII.

Qui ſecus ſentiunt, vel ignorantiam elenchi

chi committunt, vel in logomachiam incidunt, vel obſcuriſſimæ diſceptationi locum faciunt: qualis occurrit, quando de conſenſu & pacto gentium moratarum aliquid in medium affertur, & hæ a barbaris diſtinguuntur.

§. LXXIV.

Sed differt tamen *lex naturæ* noſtra a POSITIVA *diuina & humana.*

§. LXXV.

Diuinam plures in *vniuerſalem* & *particularem* diſpeſcunt. Sed LEX DIVINA POSITIVA VNIVERSALIS, quam excogitarunt nonnulli, non eſt dicenda *poſitiua*, quia iam in lege naturali *abſoluta* & honeſtatis, temperantiæ ac decoris pleniſſima continetur; aut ſaltem ex illa fluit. Quod doctores impulit, vt ad eiusmodi legem poſitiuam vniuerſalem confugerent, hoc eſt: Non potuere iſti cauſſam inuenire ſat ſtrigentem, quare vetarentur varia inceſtus genera, ob quæ Deus expulerit gentes Cananæas; neque in aliis capitibus argumentum prohibitionis illico ratione *iuris externi* occurrebat. At multa ſunt illicita e virtutis & ſapientiæ fonte, cuius rei ratio reddi nequit, ſi ſolam quietem externam leui obtutu conſideres. Deus vero virtutem ac bonum ordinem tam ſerio præcipit ſectandum, quam ius neceſſarium: eſtque, re penitius expenſa, in propatulo, quare tot in conſanguinitate gradus

prohibuerit, affinitatesque definiuerit, ne videlicet in varias impuritates proruerent mortales, ſed continenter viuerent, euitatis libidinis occultæ tentationibus permultis. Ac quamvis negari nequeat, Deum promulgaſſe leges *arbitrarias*; nondum tamen conſtat de lege arbitraria vniuerſali, quæ merum arbitrium haberet pro fundamento. Id non inficior, potuiſſe id fieri: Sed quæritur nunc, an ſit factum? ac num, præter neceſſitatem, multiplicandæ ſint leges diuinæ? Quæ de ſtatu integritatis proferuntur, ad cauſſam non pertinent. Quare leges, quas reliqui pro vniuerſalibus venditant, ego pro concluſionibus Ethicis virtutisque præceptæ conſequentiis habeo. Ceterum *Curcellæus* eius aliquando legis primam mentionem fecit, deinde *Oſiander*, poſt *Kulpiſius* & illuſtris *Thomaſius*, eam rurſus deſtruens ſecundis curis: quam *Clauſingius* denuo defendere ſatagit.

§. LXXVI.

Positiva particvlaris certam gentem, puta Iudæos tangit, & inſuper peculiari revelatione innoteſcit: cum e contrario naturalis omnes homines obſtringat, & ex ratione ordinario modo pateſiat.

§. LXXVII.

Positiva vero hvmana non vna, ſed multiplex eſt. Quot ciuitates, tot iura ciuilia: quæ, niſi rationis expertia ſint, oc-

caſiones

caſiones peccandi *præſcindunt*, fraudes caueut, & ſic legem naturalem muniunt, ne tam facile migretur, vel eam explicant, & ſenſibus hominum ſtupidorum propiorem reddunt; vel etiam ex peculiari vtilitate præceptis naturalibus aliquid adiiciunt, & *ſpecialius* determinant. Vnde neceſſitas iuris ciuilis ſolide euincitur; ac Iurisconſulti vero ſæpe numero in definitionibus enucleandis occupantur; deſcribuntque, quid ſit *furtum*, quid *manifeſtum* & *non manifeſtum*, quid *violentum*, quid non? quid *indebitum*, quid *metus*, quid *vir conſtans*? cetera. Sapientes ipſimet hoc poſſent, ſi attenta mente cuncta circumſpicerent, inuenire: ſed cum hominum plerique ea dote non ſint præditi; hinc prudentes iis commonſtrant viam, &, ſecundum definitiones datas varia themata decidunt, plures ſpecies colluſtrant.

§. LXXVIII.

An vero ius ciuile Romanum tanta ſit ſapientia refertum & ipſa, vt *Gravina* loquitur, RECTA RATIO, alia quæſtio eſt. Saltem næui plures in eo obſeruati ſunt & obſeruantur etiam nunc: nec dubium, quin nullius fere gentis leges careant ratione, æquitate, vtilitate: quod contra *Gravinam* tenendum, qui Ruſſorum Imperatori Romana iura ſuaſit recipienda, quia ſint ipſa ratio. Ruſſi vero idem occinere ſuaſori po-

 tuiſſent;

tuiſſent; ceu *Germani* JCti plures id faciunt, cum tanta iactantia celebratur *ius Quiritium.*

§. LXXIX.

Similiter lex forenſis Iudaica ſapientiſſima merito habetur. At nec inde tamen fluit, a Chriſtianis quoque eam pro norma eſſe recipiendam. Eſt enim ſapientiſſima *comparate*, ratione Iudaicæ gentis. Nobis non eſt prorſus commoda, cum alios habeamus mores, & diuerſum Reſpublicæ noſtræ habitum oſtendant.

CAPVT II.

DE PRIMO IVRIS NATVRALIS PRINCIPIO.

§. I.

Non opus eſt ſemper, vt principium generalius, atque, vt vocant, primum in fronte totius diſciplinæ conſtituatur: habet hæc methodus plura incommoda, quam commoda.

§. II.

Præterquam enim, quod non ſtatim omnes veritates & conſequentiæ mente comprehendi, nec ſub vna generaliori collocari poſſint; etiam obſeruatur, ita incedentes a contemplatione veritatum *determinatarum*, ſeu ſingularium auerti, & alio prouolutos inanibus altercationibus & logomachiis haud raro

raro implicari. De quo iam in *Logica* nonnihil monuimus *L. I. c. III. Sect. I.*

§. III.

Saltem negari nequit, in iuriſprudentia naturali ea incommoda fere omnia fuiſſe animaduerſa. Quam enim frequenter auditæ ſunt voces: tuum principium non eſt adæquatum, non generaliter verum? Quam negligenter interea veritates & leges ſingulares ſunt expenſæ? quam haud raro ingeminatum, principium non eſſe evidens? quam temere denique extra hominem quidam euolarunt, vt, quod apud ſe non inueniebant, principium, venarentur, neſcio vbi?

§. IV.

Ad quod, quum diuerſa nominis acceptio acceſſiſſet, Doctoresque ius naturale modo anguſtiori, modo latiori ambitu circumſcripſiſſent, factum eſt, vt nouæ de principio primo lites ſurgerent. Hic enim & internam & externam, ſeu omnibus numeris abſolutam felicitatem in mente habuit; alter de pace externa tantum verba fecit: vnus theologiam naturalem infarſit; alter eam iam poſuit: rurſus alii totius politicæ præcepta adiicienda crediderunt, eoque aliam fere ad vnum omnes enunciationem primariam ſtatuerunt.

§. V.

Quas vt euitemus difficultates, conſultum forte foret, omittere tantiſper princi-

pium primum, donec ſingulæ veritates *determinatæ* in luce ſint conſtitutæ. Sed, quia iam in Ethica totius philoſophiæ moralis ambitum circumſpeximus, non erit iam res magni negotii, recepti inſiſtere methodo, & ſectari & inuenire axioma, in quo concluſiones omnes contineantur: placuitque hæc methodus in ſcholis, vt paullo citius abſoluerent ſphæram ſuam docentes. Illi vero non minus falluntur, qui vno filo ex vno axiomate & principio vniverſas deduci concluſiones poſſe negant. Poſſunt vtique, ſi quis vim demonſtrandi intelligat, &, quid in tali enunciatione lateat, ordine detegere queat.

§. VI.

Tale axioma vulgo principium *cognoſcendi* vocatur; a quo principium iuris naturalis *eſſendi* vtique differt.

§. VII.

Itaque peccarunt, qui DEVM eiusque voluntatem vel abſolutam, vel ſapientiſſimam pro principio primo venditarunt. In eo enim omnes, præter Atheos, conſentiunt, Deum eſſe legis naturalis auctorem.

§. VIII.

Sed hic vero talis enunciatio indagatur, qua cognita cognoſcuntur reliquæ, ac primarium ſupremi Numinis ſcopum ac voluntatem ante oculos conſtituat, quidue ille præſtandum a mortalibus, præcipue intuitu

iuſtitiæ

iuſtitiæ externæ , cupiat , obſeruandumque præcipiat , aut omittendum : cumque de prima diſciplinæ hujus veritate ſermo ſit , per ſe conſequitur , vt eſſe illa debeat VERA , EVIDENS , ADÆQVATA.

§. IX.

Veram quærimus , quia veritates morales quasdam cum ea connectere conamur.

§. X.

Adæquatam inueſtigamus , ne minus , quam par eſt , contineat noſtra diſciplina , neue etiam abundans.

§. XI.

Euidentem eſſe volumus , non , quaſi nulla probatio adiici poſſit , aut debeat , ſed ne addenda ſit nimis longa & difficilis.

§. XII.

Falluntur quippe , qui vel talem expoſcunt euidentiam , qualis eſt in principio primo generaliſſimo , de quo in *Logica* verba fecimus ; vel etiam ferre non poſſunt , vt aut verbis ſimilibus eiuſcemodi propoſitio exponatur , aut circumſcribatur : qui error multis obrepſit.

§. XIII.

Quibus præmiſſis , clarum ſit , conſiderandam eſſe ante omnia humanam naturam , vt ſic ex ipſa ratione , per quam Deus nobiſcum loquitur , eruatur ; eoque male rationes ſuccedere , qui eam prætemauigantes ſtatum

tum integritatis (*a*) crepant, aut hic decalogum explicant (*b*), aut legem & euangelium, (*c*) aut præcepta Noachica (*d*) pro norma generali venditant, aut lumen aliquod fanaticum (*e*) præſtolantur, aut conſenſum gentium laudant, (*f*) aut inſtinctum (*g*) & ordinem, & finem, & conuenientiam naturæ & mundi, aut legem æternam nimis generatim vrgent, aut aſſimilationem DEI (*h*) nominant, aut amorem DEI ſubſtituunt.

(*a*) Notentur *Valentinus Alberti*, *Meuius*, *Seckendorfius*.

(*b*) Notentur *Georgius Calixtus* aliique Theologi, ſimul-atque *Boecleri* argumentum examinetur, qui hanc methodum appellauit diuinam.

(*c*) Notetur *Ioannes Ludouicus Praſchius*.

(*d*) Notetur *Ioannes Seldenus*.

(*e*) Notetur *Poiretus*.

(*f*) Notentur *Ariſtoteles*, *Cicero*.

(*g*) Notentur Stoici, Pythagorici, *Lambertus Velthuyſen*, *Ioannes Georgius Pritius*, *Wachterus*, *Leibnitius*.

(*h*) Notentur *Io. Ioachimus Zentgrafius*, omnesque, qui ſanctitatem & iuſtitiam diuinam in exemplum proponunt: quæ licet commodum ſenſum ferat, non eſt tamen inde inferendum, principii primi locum eam occupare debere.

§. XIV.

Magis hic placent *Grotii*, *Hobbeſii*, *Puffendorfii* inuenta.

§. XV.

Recte enim ab illuſtri *Cocceio* iam animaduerſum eſt, omnium opiniones eodem recide-

cidere, & *pacem quære, ſocialiter viue, tranquille viue*, vocibus duntaxat, non ſenſu diſcrepare : vtvt vnusquisque horum doctorum aliam *cauſſam*, ſeu *medium terminum* in mente habuit.

§. XVI.

PRIOR etenim pacis cuſtodiam commendauit, quia ſit conueniens legi Scholaſticorum æternæ; ALTER, quia ad pacem conditus eſſet homo & natus; TERTIVS, quia alias humanæ gentis perpetuum funus, aut bellum omnium aduerſus omnes ſit futurum.

§. XVII.

Sed caue tamen exiſtimes, nobis abſolute placere horum virorum aſſerta. Sat ſcimus *Grotium* & *Puffendorfium* pacem, ſeu quietem internam & externam non, vti fas erat, diſtinxiſſe ſemper.

§. XVIII.

Nos iure ſeparauimus; eoque nunc cogitate affirmamus, eſſe hoc diſciplinæ noſtræ principium cognoſcendi primum : PACEM EXTERNAM ANTE OMNIA SECTARE ET SERVA, VBI HABERI POTEST, NE PRORSVS AD VITAM CVM ALIIS TRADVCENDAM VIRTVTEMQVE ACQVIRENDAM INVTILIS FIAS.

§. XIX.

Quomodo enim naturam ſuam conſeruabit homo, ſi perpetuo cum aliis luctetur & pugnet, damna det & accipiat, decipiatur

&

& decipiat? quomodo etiam, ſi externe ſemper tumultuetur, internas animi perturbationes reprimet, & virtutem ſectabitur acquiretque tandem?

§. XX.

Igitur hæc tranquillitas adſit neceſſe eſt, quoniam ſine aliis hominibus viuere non poſſumus.

Recolantur, quæ in *Ethica* cap. X. p. 77. ſq. hac de re philoſophati ſumus.

§. XXI.

Poſita vero externa pace & quiete, prono nunc alueo ſequetur viciſſim, non eſſe alios lædendos, ſeu turbandos.

§. XXII.

Hi alii vel ſunt ſui iuris, vel alieni, hoc eſt, vel pares, vel ſuperiores, vel inferiores.

§. XXIII.

Qui alios contemnit turbat, qui vulnerat turbat, qui occidit turbat, qui mentitur & nocet turbat, qui rem alienam inuito ſurripit, qui fidem datam violat turbat, qui ſocietatum ſimplicium & compoſitarum finem cum annexis ſubruit, turbat, cetera.

§. XXIV.

Ergo etiam hæc omnia itemqne ſingula cuſtodiæ pacis ac felicitatis externæ repugnant.

§. XXV.

Nec male concluditur, ejuſmodi perturbato-

batorem pro omnium deterrimo & infelicisſimo merito haberi, quia nemo cum eo vna eſſe, nec ille etiam cum aliis viuere & coniungi, multo minus naturam humanam, quam perpetuis periculis & tumultibus exponit, perficere & polire aptus eſt; adeoque prima felicitatis ſtamina rumpit.

§. XXVI.

Quin igitur vera ſit noſtra enunciatio, dubium non eſt. Oriuntur enim inde certiſſimæ veritates. Ex falſo autem non oritur verum.

§. XXVII.

Quin ſit euidens, ambigi non poteſt. Nam & ſtupidiſſimi homines illam comprehendunt & palpant, quum primum cauſſam conſiderant, & effectus triſtiſſimos ſibi ante oculos ponunt.

§. XXVIII.

Quin ſit adæquata, extra diſceptationem iam videtur conſtitutum, quoniam legem naturæ *abſolutam* & *hypotheticam*, ethicam & iurisprudentiam, quietem internam, quam operatur virtus, & externam, quam præcipit modeſtia & iuſtitia ſtricte ſic dicta, diſtinximus, & actiones aperte immodeſtas & iniuſtas ab inhoneſtis iniquisque curate diſcreuimus.

§. XXIX.

Igitur propria emendatio, ſi alios homines

nes ſeorſum colloces, ad Ethicam merito refertur, in qua de temperantia eique oppoſita intemperantia copioſe fuit actum.

§. XXX.

Pertinebit etiam eodem æquitas, vtpote virtus, abundantiam amoris in ſinu continens. Prudentiæ regulas Politica ſibi vindicat.

§. XXXI.

At inde vero elucet demum, e tribus TRIBONIANI præceptis primum: *neminem læde* & tertium *ſuum cuique relinque* huc eſſe referenda.

§. XXXII.

Elucet quoque, e ternis *Ioannis Franciſci* BVDDEI vltimum cum ea, quam nos addidimus, limitatione hic locum ſortiri: *ſocialiter viue*. Cultus diuinus ac vita temperans ad Ethicam pertinent.

XXXIII.

Elucet itidem, beneuolentiam CVMBERLANDI plus continere, quam pacem externam.

§. XXXIV.

Elucet, DICTAMEN rectæ rationis nimis generatim nominari. Quæretur enim ſemper, quid dictet recta ratio: eoque talis propoſitio nec euidens eſt, nec adæquata.

Dicatur de *Valentino Velthemio* aliisque, qui notitias inſitas cum *Melanchtone*, *Guilielmo Grotio*, *Roberto Scharrockio*, aut cum *Strimeſio* amorem intellectualem commendarunt.

§. XXXV.

§. XXXV.

Nunc ſolum excutiendum reſtat, quomodo ab *Hobbeſii* doctrina differat noſtra. Is enim pacem quoque externam commendat; is triſtes belli omnium aduerſus omnes effectus ante oculos ponit.

Decipiuntur cum *Conringio* & *Hedingero*, qui bellum omnium aduerſus omnes laudaſſe *Malmesburienſem* contendunt.

§. XXXVI.

Igitur circa pacem externam cum eo conſentimus; conſentimus quoque in eo, pactis pacem externam & ſub imperio commodius & certius obtineri. Eſt enim ſtatus libertatis vitio mortalium vtique turbulentus.

§. XXXVII.

Negamus vero, ante pacta neminem ad pacem ſeruandam obligari; negamus etiam, pacta ex obligatione interna, & ob propriam duntaxat vtilitatem eſſe ſeruanda: quanquam primum ipſe non videtur ſtatuiſſe *Hobbeſius*. Neque enim is de obligatione, ſed obligationis executione dubitauit; quoniam prauorum affectuum tanta eſt in mortalibus violentia, vt ſusque deque habeant futura omnia, vbi boni apparentis viuida repræſentatio eosdem mouet atque afficit.

§. XXXVIII.

Quod vt clarius pateſcat, comparabimus *noſtra* & *Hobbeſii*. Igitur AVCTORIS adſertum eſt: *Quære*

Quære pacem ante & poſt pacta.

HOBB. *Quære pacem poſt pacta.*

AVCT. *Obligamur ad eam quærendam & ſeruandam* INTERNE & EXTERNE.

HOBB. *Obligamur tantum* INTERNE *propter ſolam utilitatem noſtram; non autem propter ſeriam voluntatem diuinam.*

CAPVT III.

DE STATV HOMINVM DIVERSO, INPRIMIS LIBERTATIS ET IMPERII.

§. I.

LEx naturæ una eſt, ſed fœcunda, vtpote quæ plures concluſiones in ſinu ſuo continet. Vnde nonnulli eam catenam pluribus annulis ſimilibus conſtantem appellarunt.

§. II.

Hæc lex hominibus data eſt, vt ad eam actiones ſuas dimetiantur.

§. III.

Homines autem non conveniunt omnimodo, ſed ſecundum *ſtatus* diverſos videntur diuerſi.

§. IV.

Ergo modus quoque demetiendi variat: quamlibet norma eadem ſit & maneat.

§. V.

§. V.

Status vero non tantum certa qualitas, ſeu conditio, aut diſpoſitio eſt, ſed ſpatium morale potius, in quo certum habitum, diſpoſitionem & qualitatem nanciſcuntur mortales; quemadmodum res ceteræ ſpatium quoddam phyſicum occupant, habituque phyſico circumdantur. In hoc ſpatio conſiſtunt quaſi, diuerſasque qualitates vel natura, vel facto induunt.

§. VI.

Vnde ſtatus vel *naturalis* eſt, vel *aduentitius.*

§. VII.

NATVRALIS a natiuitate venit.

§. VIII.

ADVENTITIVS artificio conſtat morali. Vnde naturale & artificiale ſibi hic opponuntur.

§. IX.

A natura HOMINES habent, quod ſint vel *mares*, vel *feminæ*. Hermaphroditi vix dantur. Sed huius vero diſtinctionis in noſtra diſciplina nullus fere vſus eſt. Eadem iura, eædem obligationes hic obſeruantur: etſi Romani legislatores nonnullis iuribus & prærogatiuis *maſculos* inſtruxerint, nonnullis *fœminas* atque inter *has* atque *illos* tum commoda, tum incommoda, *certas* ob cauſſas, variauerint.

§. X.

Altera vero, quando HOMINES in *natos* & *naſcituros* diſpeſcuntur, a deciſione quæſtionis præiudicialis lucem nanciſcitur, ſintne naſcituri homines, an ſecus? Stoici non prius alioquin, ſecundum philoſophiam ſuam naturalem, homines exiſtimarunt naſcituros, niſi in luminis auras emiſſi eſſent; & ſic latens illa vitæ flamula aeris interuentu accenderetur. Sed aliter tamen Juriſconſulti, vtut Stoicæ Philoſophiæ dediti, rationes ſubduxerunt, pro iam natis habentes, quoties de eorum ageretur fauore, in futurum partim proſpicientes, partim cauentes, ne naſci prohiberentur in vtero exiſtentes: quamuis in aliis thematibus conſequa ratione vix videantur decreuiſſe. Nos cum hodie melius edocti ſciamus, partum viuere, eius tanto ſollicitius curam habendam iure concludimus. Merentur interea inſpici, quæ hac de re collegit MERILLIVS *Obſeruat. Lib. I. c.* 16.

§. XI.

Maioris momenti diſtinctio videtur, qua HOMINES vel dicuntur *æquales*, vel *inæquales*.

§. XII.

ÆQVALITAS in libertate & rerum communi vſu conſiſtit.

§. XIII.

INÆQVALITAS vel ratione *imperii* ſeſe exſerit, vel ratione *dominii*.

§. XIV.

§. XIV.

Inæqualitas factum ponit. Æqualitas hominibus naturalis eſt.

§. XV.

Omnes enim homines externe liberi naſcuntur : poſſunt facere, quod placet.

§. XVI.

Vocabulum *placet* deſiderium inuoluit nulla LEGE HVMANA limitatum. Quod interdum ex ſcelere fit, *ius libertatis* vix immutat.

§. XVII.

Sed dixi tamen : *lege humana*, ne ex ſtatu libertatis fiat ſtatus licentiæ.

§. XVIII.

Sunt enim homines liberi, homines ratione præditi : quam, quia etiam hac parte æquales ſunt, ſequi omnes fas eſt.

§. XIX.

Ergo ſtatus libertatis in ſe non eſt ſtatus belli ; ſed per accidens fit, cum homines non amplius ratione, ſed affectibus ducuntur. Quod ipſe non negat *Hobbeſius.*

§. XX.

Igitur in ſtatu libertatis non eſt *imperium*, nec item *dominium.*

§. XXI.

Non *prius*, quia poſſum facere, quod placet.

§. XXII.

Non *poſterius*, quia, ſi aliquis inuenire-

tur, qui me iure in vſu rerum poſſet impedire, deſiderium foret limitatum; ut taceam, idem ius ab omnibus poſſe viciſſim exigi.

§. XXIII.

Itaque cum nullus ſit, qui id queat iure efficere, res cenſentur nullius, & fiunt illius, cui placet, & qui deſiderat vti, hoc eſt, occupantis.

§. XXIV.

Terra enim, & quæcunque in ea reperiuntur, vſibus humanis a DEO ſunt deſtinata, quidquid diſſeratur a *Seneca*, & Stoicis, qui terram non propter homines fuiſſe productam ſtatuunt.

§. XXV.

Signanter vsvs mentio facta eſt. Neque enim amplius vti poſſumus, ſi rationem audiamus, quam neceſſe eſt ad noſtri conſeruationem.

§. XXVI.

Conſeruatio etiam nonnihil recreationis ac iucunditatis comprehendit: cum ſine recreatione homines nequeant conſeruari.

§. XXVII.

Tantum dolendum eſt, cupiditates mortalium, voluptatem, auaritiam, ambitionem perturbaſſe hic omnia.

§. XXVIII.

Illa enim multa inutiliter profundit, & conſequenter extra limites a ratione conſtitutos ſæpe proſilit. Auaritia vero omnia corra-

corradit, etiam non neceſſaria ſibi, non item vtilia.

§. XXIX.

Ambitio propria libertate contenta non eſt, affectat ea plurium libertatum complexum.

§. XXX.

Igitur voluptas, auaritia, ambitio DOMINIUM inuexerunt, & IMPERIVM.

§. XXXI.

Terra namque coli debet, idque non fit ſine labore. Quis vero otioſis porriget, quæ labore produximus noſtro? Auari laborant quidem, ſed quis laboris fructus, quos non produxere iidem, anhelantibus & ſtulte coaceruantibus permittet?

§. XXXII.

Pari ratione libertas bonum eſt. Bono autem non niſi inuiti renuntiamus.

§. XXXIII.

Ergo irrumpentibus & dominantibus affectibus bellum neceſſaria fere conſequentia cooritur: quamuis non omnes adeo malos fingas.

§. XXXIV.

Boni prouocati repugnabunt: mali prouocabunt, vt obtineant, quod meditantur & volunt. Quæ obſeruatio contra eos potiſſimum commendanda videtur, qui moroſum *Malmesburienſem* adeo noxios ſibi omnes repræſentaſſe mortales contendunt.

§. XXXV.

Sed bellum vero manifeſte perniciosſum eſt: Ergo, quamvis ſine ratione appetant homines, appetunt tamen iidem pacem ſaltem externam.

§. XXXVI.

Et hic autem appetitus facit, ut e pluribus malis diverſis eligant minus.

§. XXXVII.

Minus malum eſt, recedere ab ÆQVALITATE, quam perire.

§. XXXVIII.

INÆQVALITAS *proprietatem* poſt ſe trahit, trahit quoque *imperium.*

§. XXXIX.

Igitur qui rem vt PROPRIAM tenere & ſervare conatur, rationem alleget oportet.

§. XL.

Ratio non alia ſuppetit, quam eum iure optimo id ſibi proprium reddere, quod plantauit, ſeuit, & vt laboris ſui fructum accipiat, certis finibus circumſcripſit, aut alterius voluntate accepit.

§. XLI.

Igitur vnicuique merito relinquitur, quod facto ſuo alteriusque ſuum fecit.

§. XLII

Qui ſecus agit, pacem non quærit, ſed bellum.

§. XLIII.

Qui IMPERARE aliis eorumque libertatem

tem conſtringere ſatagit, cauſſam itidem in promptu habeat neceſſe eſt.

§. XLIV.

Cauſſa non vis eſt, ac potentia, non diuitiæ, nec ingenii quædam excellentia; ſed CONSENSVS, qui nonnunquam potentiam, divitias & imperii iura prærogativa reſpicit.

§. XLV.

CONSENSVS vel extorquetur ab alio, vel ex conſideratione maioris periculi ſuadetur.

§. XLVI.

Vnde imperium ciuile coortum eſt vel per vim, vel ex libera proprii iuris renunciatione.

§. XLVII.

Vi vſi ſunt homines extreme mali: meliores iuri ſuo volentes renuntiarunt ad maiorem calamitatem euitandam.

§. XLVIII.

Vnde in ſtatu libertatis ciuitates, & qui eas repræſentant, duntaxat viuunt, nonnullique homines ſingulares per accidens: qui pactis inſuper ſibi, ne actu ſemper bellum gerant, ſibi conſulunt.

§. XLIX.

IMPERIVM PATERNVM non eſt proprie imperium; quia, cum ad maturam ætatem perueniunt liberi, & beneficia ceſſant, non amplius apparet. Si quid amplius in eo ſit hodie, id ex iure ciuili veniſſe credas.

§. L.

Vnde perperam de conſenſu auctores diſputant, ut qui tantum in imperio proprie dicto locum habet. *Lockius* imperium paternum *naturale* appellauit, idemque matri quoque permiſit, ac nos quoque.

§. LI.

IMPERIVM in *vxorem* vel eodem pertinet, quia, ſi ſapit ea, neceſſitas cogendi & dirigendi vaneſcit; vel ex pacto ampliores fines nanciſcitur.

§. LII.

In IMPERIO autem CIVILI imperantes ſoli *mens* ciuitatis ſunt: etſi ſubiecti non carent mente; ſed ſapiunt ipſimet; immo aliquando imperantibus ſapientiores ſunt.

§. LIII.

Ergo HERILE ſupereſt, quod, vt ciuile, vel ex *violentia* oritur, vel *propria voluntate.*

§. LIV.

Poſterius ex locatione & conductione, vel alio pacto emergit: prius ex bello, cui, vt ceſſaret, acceſſere pacta.

§. LV.

Hinc FAMILIA certo ſenſu ac ſeruorum ratione abſolute parentium, veluti ciuitas parua, merito conſideratur.

§. LVI.

CIVITAS magna vero nihil aliud eſt, quam plurium familiarum complexus.

§. LVII.

§. LVII.

Quamobrem ſocietas coniugalis, quæ paternam habet ordinarie annexam, ſocietas herilis, & ciuitas, ſocietates arbitrariæ ſunt, & ex conſequenti ſtatus aduentitii.

§. LVIII.

ADVENTITII facto & arte conſtant. Facta FINEM certum habent.

§. LIX.

Ergo FINES & FACTA modum ſuppeditant, dimetiendi hos ſtatus.

§. LX.

Modus metiendi in ſequentibus innoteſcet.

CAPVT IV.

DE APPLICATIONE IVRIS AD FACTVM, SEV IMPVTATIONE.

§. I.

IVriſprudentia non tantum legum cognitionem, ſed. & APPLICATIONEM legis, ſeu iuris ad factum, continet ac docet.

§. II.

Ergo iuriſprudens *legem* mente complectitur, & *facta* conſiderat, illamque iis, ceu normam, accommodat.

§. III.

Quod ſi homines omnes ſapientia forent præ-

præditi ipſimet, tum, antequam ſuſciperent factum, iuris normam eidem applicarent: quemadmodum iam in Ethica cap. *de conſcientia* §. XXXIII. monuimus.

§. IV.

Sed, quum aberrent plerique a ſcopo, Iuriſconſultorum eſt, qui interea pro ſapientibus habentur, applicare ius ad facta præterita.

§. V.

Sed non procedit applicatio, niſi de facto clariſſime conſtet, & cui iſtud efficientia morali debeat attribui, intelligatur.

§. VI.

Quare, ſi res penſitetur, IMPVTARE dicitur, aliquem pro auctore FACTI habere & declarare.

§. VII.

Factum PERSONAM ponit, quæ, dum facit, eligit faciendum.

§. VIII.

ELECTIO diuerſa requirit: isque qui ex diuerſis vel efficiendum, vel non efficiendum ſtatuit, *eligere* dicitur.

§. IX.

Qui *ſtatuit*, intellectu polleat neceſſe eſt: qui vero reapſe, quod ſtatuit ac mente decreuit, apprehendere ſuſtinet, ac ſine impedimento aliquid e diuerſis *apprehendendum* aptus eſt, vel *abſtinendum*, ab his iſtisue, LIBERTATE præditus ſit oportet.

§. X.

§. X.

Qui LIBER non eſt, AGITVR, non AGIT, materiæque patienti ſimilis merito iudicatur.

§. XI.

Quare illi, qui non *agit*, vel *egit*, factum nullum poteſt tribui tanquam auctori.

§. XII.

Qui vero libere eligit, *vult*. Ergo VOLVNTAS omnium actionum humanarum principium eſt.

§. XIII.

Vnde PRIMA quæſtio : an quis reuera egerit conſulta mente, eiusque *voluntas* cum actione fuerit coniuncta?

§. XIV.

Id ſi conſtet, quæritur SECVNDO, *quanta* fuerit voluntas, ac TERTIO *qualis*?

§. XV.

Qui de quanto COGITAT, cogitat vel de *magno*, vel de *paruo*. Vtrumque ſine *numero* concipi nequit. Vnde *Romanorum* PVTARE & Germanorum *zurechnen*.

§. XVI.

Cumque hæc PVTATIO ſit iuridica, per ſe intelligitur ad *legem*, ſeu *ius* hic reſpici, vel ad *indifferens*, hoc eſt, lege *non interdictum*.

§. XVII.

Qui de lege cogitat, *ſuperiorem* in mente habet.

XVIII.

§. XVIII.

Svperior vel *obligationem* imponit, vel *ius* dat.

§. XIX.

Qui *obligationi* ſatisfacit, ſuperiorem *obſeruat*; qui non, *contemnit.*

§. XX.

Qui *ſuperiorem* contemnit, eum iuris ſenſu pro *ſuperiore* non habet.

§. XXI.

Id vero qui facit, peccat. Peccans punitur: ob factvm malvm, cuius is auctor eſt; quod ipſi certe tribuitur, ſeu imputatur.

§. XXII.

Sicuti viciſſim voluntatem ſuperioris implens non peccat, eoque *impunitatem* conſequitur; quia eum ipſo opere & facto colit, quem ſibi imperare nouit.

§. XXIII.

Qui colit Dominum, fideliter ei ſeruit: Qui non, fidem violat, eoque, *mereri* dicitur vterque.

§. XXIV.

Meritvm vero ſicut ſine facto non eſt, ita iſtud vel legi congruit, vel non. Prius *obſequium* appellatur, Postremvm *contumacia.*

§. XVV.

Obseqvivm & contvmacia gradus habent; niſi quidem Stoicum agas, virtutes & vitia,

vitia, iuſtitiam, & iniuſtitiam nullo *profectu*, atque *interuallo* diſtinguentem.

§. XXVI.

Vbi GRADVS, ibi *menſura*: Vbi MENSVRA, ibi *maius*, & *minus*, vel etiam *aequale*; quae omnia ſine *numero* iterum ac *putatione* cogitari nequeunt.

§. XXVII.

Cumque *voluntas* actionum humanarum, vti dictum, principium ſit, hinc conſit, in dimetiendo obſequio & contumacia diiudicanda primario ad VOLVNTATEM videri reſpiciendum.

§. XXVIII.

Voluntas vero vel ἀμέσως operatur, vel ἐμμέσως. *Prior* operatio facilius & fere ſenſibus percipitur. *Poſterior* altioris indaginis eſt: quia binae voluntates obſeruantur coniunctae, *vna* ſimul operante atque *altera*, quamvis GRADV ſaepe diuerſo, & modo parumper occulto.

§. XXIX.

Exempla facile ſuppeditabunt verſus notiſſimi: *Conſulo, praecipio &c.*

§. XXX.

Qui enim mandat, ſuadet, hortatur, laudat, non impedit, quum poteſt, ac debet, adiuuat, reprehendit quod eſt praeceptum, excitat ad id quod prohibitum, is ſane *cooperatur*, eique propterea certo numero IMPVTARI factum poteſt.

§. XXXI.

§. XXXI.

Quis vero *plus*, quis *minus* effecerit in hoc actionis *conſortio*, iterum e conſideratione variarum circumſtantiarum, ſeu *adiunctorum* pendet : quæ imperanti, & iudici cuicunque oſtendent, quali reprehenſionis & pœnæ genere, qua laude, quo elogio ; ac denique qua venia & immunitate agens, vel non agens ſit afficiendus. Magnitudo namque obſequii, vel contumaciæ, doli, vel culpæ ad factum, aut non factum relatæ, definiendis ac decidendis quæſtionibus permultis certiſſimam normam ſuppeditabit. Verum enim eſt, minimam circumſtantiam variare ius, ac deciſionem : Et dolum vero, & culpam, & promptum agendi modum a voluntate ortum capere, continuari, finiri, perſpicue intelligitur.

§. XXXII.

Atque vti ORDINARIVS in ſectando bono *conatus* nullam extraordinariam *mercedem* meretur ; ita ORDINARIA hominum *malitia* vel *veniam*, certis caſibus, merebitur, vel *poenam leuiorem*: cum viciſſim ob varias *περιστάσεις*, & *extraordinarias* malitiarum ſpecies creſcant *poenæ*, obque *extraordinarium* obſequium & virtutem augeantur *laudes*, *præmia*, *honores* : vt ſic extraordinarium extraordinario reſpondeat.

§. XXXIII.

Nec dubitandum, quin in INDIFFEREN-

TIBVS

TIBVS negotiis & actibus eadem voluntas in conſiderationem veniat, *creditum* pro re nata, vel *debitum* gignens, *obligationem*, vel *ius* producens, *maius*, *minus*, *æquale* atque ſic viciſſim ratione obligationis, ſecundum paciſcentium & volentium finem, propoſitumque. Vnde rurſus claret, ICtum perpetuo comparare, numerare, metiri, IMPVTARE, *interpretetur*, *reſpondeat*, an *decidat*, leges *ferat* ipſemet, an *latas* applicet, ad omnis generis negotia, factaque *præcepta*, *prohibita*, *indifferentia*.

§. XXXIV.

Ex quo euidens redditur, quam ſit abſurdum, contemnere MENSVRÆ moralis doctrinam. Etſi enim in hoc recte ſentiunt, illi imputari actionem, eius qui ſit auctor; quod & nos monuimus: turpiter tamen cæcutiunt, dum nihil amplius diſcendum hac parte ſtatuunt. Semper enim quæritur, cur ſit auctor? quæ voluntas, quanta & qualis? quæ obligatio, quanta, qualis? quæ animi intentio contrahentium? quantum iuris competat vnicuique? quam diu? a quo tempore? quantum peccauerit? in quantum iuſtus fuerit, & obediens? in quantum contumax? Quæ vniuerſa ſine numeratione, dimenſione & comparatione nec percipi poſſunt, nec definiri: vt taceam, quantitatem ipſam non eſſe *corporale*, ſed *incorporale*, intelligendum, non autem *tangendum*, & ſenſibus obuium.

§. XXXV.

§. XXXV.

Vbi vero nulla rationabilis VOLVNTAS, libertas, conſenſio, eoque electio nulla, ibi tum *imputationis* IDEA, tum NOMEN vaneſcit, nec proprie *actio* deprehenditur *humana.*

§. XXXVI.

Quamobrem per ſe fluit, errore ſeductum, doloſe deceptum, neceſſitate, metu, caſu ac mero naturali inſtinctu compulſum nihil facere, quod ipſis cum iuris effectu tribui queat.

§. XXXVII.

Hinc vere ERRANS nec peccat, nec contrahit, nec laudatur, nec reprehenditur, nec ius acquirit, nec obligatur, ac ſicuti ipſe nihil amittit; ita nec alteri aliquid adimit. Solum quæritur ex facto, an quis *errauerit*? an error attingat conſenſum, eumque ſubruat, aut tollat? an error potuerit vinci, nec ne? quis itidem erroris ſit cauſſa? Poſterius ſi conſtet, tum quidem oritur obligatio ex culpa ad damnum penſandum, non autem ex contractu, quod eſt promiſſum, præſtandum : ſicque intelligendus canon : *Error in dubio debet imputari erranti.* Romani fluctuant hac parte, quia nullus apud eos titulus de errore in genere *ſolide* elaboratus occurrit. Vid. quæ in GVNDLINGIANIS *part.* XXXIII. *obſ.* I. copioſius hac de re differui, vbi ſimul adnotatum, PVFFENDORFFIVM *lib.* III. *cap.* VI. §. 6. exiſtimaſſe

maſſe temere, errantem plane non teneri, ſi res adhuc integra, id eſt, traditio nondum ſecuta. Rectius ſcripſiſſet, ni damnum faciat alter. Tum enim exceptio: *tua non intereſt, repelleret agentem.* Sed difficile erit oſtenſu, alterum in damno non eſſe.

§. XXXVIII.

Quæ de ERRORE ratione contractuum, diximus, eadem delictorum ratione obtinent; reſque eo potiſſimum redit, *an error attigerit conſenſum*? niſi quod & rariora ſint erroris, ſeu ignorantiæ (*) *inuincibilis* exempla. Qui enim paciſcitur, ei tempus deliberandi vix poteſt deeſſe.

(*) Non ſolere diſtinguere *Iurisconſultos*, effectus iuris circumſpicientes, ignorantiam & errorem; iam FELDENVS *de Interpretatione* monuit: vtut id faciunt *Philoſophi*, quorum eſt exilia diſtinguere Θεωρετικῶς.

§. XXXIX.

IGNORANTIA IVRIS vero etiam in noſtra diſciplina nocet, cum pauca ſint principia addiſcenda; eoque illa ſine negotio poſſint ſciri atque ratione ipſa exquiri. Ignorantia facti non facile nocet, quoniam facta ſunt infinita, quæ facile cognitionem noſtram fugiunt; niſi quidem, ceu ſupra dixi, erroris hujus cauſſa ſit ipſemet ignaue errans.

§. XL.

De DOLO pæne idem tenendum. Nam cum dolus ſit certo ſenſu *error*, alio rurſum intuitu *malitia* inſignis; hinc nulla imputatio

ex parte facientis ac contrahentis oriri poteſt, tum quia errans minime promittit; tum etiam quia malitioſe decipiens iure acceptandi deſtituitur: exploſa differentia, *dolus cauſſam contractui dederit*, *an minus*? PVFFENDORFFIVS Romanorum ſcitis deceptus huic adhuc differentiæ aliquid tribuit. Enim vero dolus fallacia eſt, cui nulla *lex* fauet vnquam, eoque nec *naturalis diuina*. Immo abſurdum eſt, Deum reſpecturum tempus, quo dolus fuerit commiſſus, puta ante contractum, an in contractu? At ROMANI bonæ fidei ac ſtricti iuris habuere contractus. In his dolum non adtendere: adhibuitque demum rauco huic iuri medicinam *Aquilius* cum *Caſſio*, vt remoueretur dolus, de quo in *ff. meis p.* 356. *de dolo malo*. In bonæ fidei vero negotiis dolus nunquam ne momento quidem ſuſtinebatur, adeoque exceptione doli, Prætoris beneficio demum impetranda, opus non erat. Inerat iam exceptio. Quod ineſt, non demum a Prætore erat impertiendum in ſubſidium. Igitur patefit, ſolos contractus ſtricti iuris indiguiſſe huiusmodi Prætorio auxilio: ceteros non indiguiſſe. Idque *Noodtius* ſingulari libello probat. Ceteras tricas in *ff.* diſiecimus.

§. XLI.

In delictis *dolus* aggrauat *meritum* pœnæ, majoremque reddit contumaciam, quod notiſſimum.

§. XLII.

§. XLII.

CASVS vero extra facientis factum eſt: quemadmodum & ille, qui ineuitabili NECESSITATE compulſus, nec legem violare voluiſſe, nec fidem frangere cenſetur. Quæſtio eſt duntaxat aliquando: vtrum mortem potius ſubire obſtringamur, an inſtinctui naturali obſecundare ac neceſſitatem ſequi? Quod adfirmandum, ſi hominum *malitia*, tentandæ fidei ac veritatis cauſſa, nobis neceſſitas inferatur. Tum enim mori præſtat, quam contemnere Deum ſuperioremque. Vnde *imputandi* modus pro re nata variat: idque exemplis declarari haud difficulter poteſt: conſtatque interea, diſtinctionem Scholaſticorum inter *præcepta affirmatiua* & *negatiua* difficultates non tollere omnes.

§ XLIII.

At paullo difficilior inſpectio de METV in pactis, ſeu contractibus videtur. Nam hic ante omnia quæritur, an noluerit promittere, qui reapſe promittit, dum metu compellitur in virum conſtantem cadente, vtut *iniuſto*? Et certum eſt, MALLE promittere, aut etiam dare, quem terror conſtringit, quam mori. Qui *mauult*, magis *vult*; Ergo certo vult, ac conſentit. In quo recta eſt *Romanorum ICtorum* philoſophia. Sed decipit illa, quando STARE contractum & Prætoris auxilio demum RESCINDENDVM credidere. Non poteſt ille conſiſtere; nec

conſiſtet vnquam. Verum ex *alio principio* & *cauſſa*. Ad pactum enim, & contractum, (quæ *nunc* nobis idem ſonant) binæ minimum perſonæ ponuntur: *promittens*, aut *dans*, deinde *acceptans*. Fac ergo, conſiſtere *promiſſionem* ſeu *dationem*; neutiquam tamen propterea ſimul conſiſtet *acceptio*: quoniam metum inferens omni iure accipiendi deſtituitur. Non ſuccurret latroni ac cogenti ius naturale: non itidem arbitrarium æquitate ſubnixum. Quod in contrarium ex Iure Romano affertur, illam iterum fori corruptionem, aut praxin indicat, differentiam *contractuum bonæ fidei* & *ſtricti iuris* ſectantem; ſecundum quam in ſtrictis negotiis *verba* tantum directa, &, ceu TVLLIVS loquitur, *aſpera*, litteræ, aut factum adtendebantur. Hinc Prætor *Octavius* ex æquitate ſuccurrit tetrico hoc iure preſſis, reſcindendo, quod actum: dumque reſcidit *exceptionem*, ſimul ac pro re nata *actionem* dedit: *actionem*, ſi qua extincta fuit, reſtituendo, vel nouam ſuam accommodando: de qua re ad *ff.* fuſius p. 348. Hinc quæ VFFELMANNVS ac GROTIVS hoc loco multis cum ICtis philoſophantur, Romanorum placitis fauent, nec puræ rationis ſunt.

§. XLIV.

In DELICTIS vero ad ſolum agentem EX METV neceſſitante reſpicitur; qui ſane peccare noluit, dum vitæ euitare periculum,

ex

ex *mero* naturali impulſu, voluit, ceu ſupra §. 36. monitum. Sed fac iam, tentari me ac mortis metu angi a Tyranno, hominem innocentem vt occidam, cum matre vt concumbam. Et non ſum facturus. Quare? Quia malitia concurrit; nec merus adeſt in *hac neceſſitate* inſtinctus, vtpote in quam non DEI prouidentia, ſed hominum malitia, virtutem meam cum periculo ſollicitante, ſum coniectus. Vnde merito doctis vapulat PVFFENDORFIVS, hominem tyranno ſic obtemperantem ceu malleum, aut inſtrumentum inanimatum conſiderans.

§. XLV.

Verum tamen vti promittenti IMPVTATVR *debitum* & comparate creditori *creditum* ac delinquenti *crimen*; ita quoque, ſi aufertur OBLIGATIO, aut tollitur REATVS, imputabitur *liberatio*: cum nullum amplius obſervetur QVANTVM, quod eſt *ſublatum*.

§. XLVI.

Sublatum vel facto *proprio*, vel *alieno*.

§. XLVII.

PROPRIO, quando vel *vere* ſolvimus, vel per *æquivalens*.

§. XLVIII.

ALIENO, quando *Creditor* vel iuri ſuo *renunciat*, vel pro nobis *alius ſoluit*.

§. XLIX.

Licet enim cuique renunciare iuri ſuo. Obligationi vero nemo renunciat, eoque

nec pœnæ. Sed poteſt tamen is, qui legislator eſt, vel pœnam tollere quandoque in totum, vel remittere ac veniam dare, intuitu alterius *ſatisfacientis*, ita vt, quod deeſt obſequio noſtro, ſuppleat is, aut pro ſuppleto habeat ex obſequio alieno. Quod e doctrina de *merito Chriſti* illuſtrant Theologi: nosque infra de *Imperantium iure diſpenſandi*, quod vocant, differemus pluribus.

§. L.

Atque ita vero tota, quantum in hac diſciplina ſat eſt, de imputatione doctrina paucis regulis comprehenſa eſt: eoque nunc ad facta ſingularia ius ſine magno negotio, tam in ſtatu libertatis, quam imperii poterit ſpecialius applicari.

CAPVT V.

DE NON CONTEMNENDIS ALIIS IN STATV LIBERTATIS.

§. I.

Ergo, quod feliciter ſuccedat, proximas, quæ cum principio noſtro connectuntur, veritates, paullo expendamus curatius.

§. II.

Sed non poterunt expendi commode, niſi ad obligationem connatam & acquiſitam, de quibus in capite primo actum eſt, oculos dirigamus.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Illa quippe *modeſtiam* commendat, hæc *iuſtitiam.*

§. IV.

Modeſtiam iam in *Ethica* definiuimus, quod ea non tantum ſeſe nemini præferat, ſed cuique, quod citra pactum eius eſt, relinquat.

§. V.

Sed habent vero omnes homines a natura & citra pactum ius, ne contemnantur, neue etiam in vita, fortunisque lædantur.

§. VI.

Igitur bina ſeſe nunc offerunt præcepta, ne quis 1) contemnat alios, neue 2) ſpeciatim lædat. De primo prius.

§. VII.

CONTEMNERE ſignificat aliquem *inæqualem* declarare: cum tamen homines, qua homines, inter ſe ſint *æquales*; eademque habeant *iura* connata, eaſdemque *obligationes* connatas, iisdemque modis *acquirant* iura & obligationes.

§. VIII.

Nihil hic ad æqualitatem infringendam efficiunt *diuitiæ*, *paupertas*, nihil *ſcientiæ*, *artes*, *eruditio*, *potentia*. Quid enim addimortalibus rerum copia? pecuniæ abundantia? virium cumulus? quid demit inopia? Scientia eruditos quidem inflat, vt ſe ſuperiores aliis exiſtiment; at decipiuntur. Nam

 quam-

quamuis illi multa ſciant, non tamen ſequitur, vt ceteri *nihil* cognoſcant. Intelligunt hi in rebus ſæpe magis neceſſariis atque vtilibus plus, quam qui Syllogiſmos crepant, hiſtorias innumeras mente complectuntur, linguas varias callent. Etiam ruſtici, agricolæ, opifices & qui nunquam ad eruditas diſciplinas animum appulere, non pauca tenent, quæ ignorant magiſtri artium ſubtiliſſimarum. *Tout le monde raiſonne bien.* Eſt hoc problema a *Buſſierio* Ieſuita diſputatum ac ſolutum præclare in *principiis ratiocinandi*; recurritque hic aliquid e doctrina de *comparationibus*, quæ nunquam perueniunt ad finem in applicatione; namque, quis *magis* ſit conſideratu dignus, quis excellentior? ſpondeo, me viliſſimo homini ſcripturum apologiam, ceu *Boilæus* perorauit *pro aſino*.

§. IX.

Igitur iam ſequitur, quæ hoc in capite exſpectatur, veritas: nempe, ne æquales habeantur pro inæqualibus, hoc eſt *contemnantur*, eoque præ ceteris ſeſe *efferat* quisquam; quod eſt, æqualitatem tollere, & inferiores facere, & ſuperiores *temere* procudere.

§. X.

Idque fit vel *affectu interno*, vel *opere externo*: de quo poſtremo ſolliciti nunc ſumus cum maxime, quia hoc ſenſili ratione humani generis ſocietates perturbat.

§. XI.

§. XI.

Opvs externvm manifeſtum fit vel *verbis*, vel *factis*. Verba vel *ore proferuntur*, vel *ſcribuntur*, clare, vel ambigve.

§. XII.

Facta vel *nota* ſunt, ac quodammodo *naturalia*, vel *artificialia*, & *arbitraria*, atque pro talibus ſignis contemptum inferentibus merito habentur. Et ſicuti arbitraria numerum faciunt ac differunt; ita talia facta *contemptum* indicantia *multiplici* ratione variant: quorum *vim* interea vſus atque experientia ſuggerunt.

§. XIII.

Qui alterum *contemnit*, ei *iniuriam* facit.

§. XIV.

Inivriam faciens adimit ius connatum, vel acquiſitum, nobis, aut noſtris; ceu *cap. I.* §. 65. obſeruatum: dummodo verum *ius* ſit, nec precarium ſapiat, nec meram virtutem humanitatemque contineat.

§. XV.

Igitur lex *de non contemnendis aliis* omnes iniurias prohibet verbis, vel factis contemptum inferentes.

§. XVI.

Ex iure connato autem ſicuti æqualitas; ita quoque *exiſtimatio* ac *fama* æqualis fluit.

§. XVII.

Existimatio opinionem ponit. Æqualitas

litas *maius* & *minus*; eoque NVMERVM excludit. Igitur omnes homines eodem numero inter ſe ſunt; nemo maior; nemo minor; niſi aliquid adueniat, quod maiorem minoremue noua ratione efficiat.

§. XVIII.

Tale efficiens inſignis *probitas*, vel *improbitas*, eſt, atque *imperium*.

§. XIX.

Haud temere dicitur, INSIGNIS IMPROBITAS & contra. Nam qui communi mortalium modo probus eſt, vel improbus, ei noſtra in diſciplina, quæ de externo bono ſollicita eſt, nihil *accedit*, nihil *decedit*.

§. XX.

INSIGNITER vero IMPROBVS non ſolum virtute non eſt præditus; ſed & externam quietem aperte conterit, pacta violat, lædit alios, cetera.

§. XXI.

Ita vero vitam inſtituens pro HOSTE *humani generis* merito habetur.

§. XXII.

HOSTIS humani generis FAMAM bonam inter homines quoque merito amittit, *fidem* perdit, vituperio *obnoxius* fit, *vindictæ* ſubiicitur, atque ex conſequenti INFAMIS efficitur.

§. XXIII.

Quid IMPERIVM operetur, paullo poſt indicabitur.

STA-

Status Libertatis.

§. XXIV.

Eo pacto autem INFAMIA in libertatis ſtatu & inter pares, vbi nullum imperium obtinet, oriri poterit. Neque enim populus populum, Res-publica Rem-publicam, Princeps Principem magni faciet, ſed potius *aperte*, omni opinione de eius iuſtitia depoſita, vituperabit : vtut inter Principes ac ciuitates ſine *conuicio* id conſueuit fieri. Quod ſi vero & *hoc* interueniret, nihil certe iniuſtitiæ tribui reprehendenti cum libertate poſſet. Sic *Alexander M.* iure pro latrone gentium habitus & ab ipſo *Seneca* hac ratione fuit depictus. De *Ferdinando Catholico*, nemini fido, notum eſt, quid ſenſerit orbis atque ſpeciatim *Ludouicus XII.* pronunciauerit : vt omittam, quæ de *Ludouico XI.* aliisque recentioris æui Regibus annales referunt. Nec dubitandum, Turcas, Mauros, gentesque latrociniis vacantes, ac piraticas ciuitates merito cum ceteris contemni ac nihili fieri.

§. XXV.

Reliqui populi vero ac principes quibus talis macula non adhæret, ſed ad modum communem res ſuas componunt, omnimoda æqualitate efflorescere, facile intelligitur, nec alteri præ altero aliquid præcellentiæ & iuris prærogatiui competere videtur.

§. XXVI.

§. XXVI.

Vnde diiudicandum, quod de iure *προεδρίας* diſputarunt auctores celebres, ad unum fere omnes hac in cauſſa cæcutientes; quorum e numero nec *Cruſium*, nec fictum *Zweiburgium*, nec ipſum *Iacobum Gothofredum* excipio. Nihil quippe ad rem facit ANTIQVITAS, cum Principatus antiquus non magis ſit Principatus, quam nouus: nihil INGENII SOLERTIA, aut STVPIDITAS, cum nemo ſe credat minus ſolertem, aut magis ſtupidum; nihil RELIGIO, quæ vniuſcuiuſque arbitrio relinquenda, ac iure gentium libera eſt: nihil NOBILITAS, cum hæc vel *libertati* innitatur omnibus communi, vel *antiquitati* & *celebritati* gentis, de qua dictum: nihil FORMA CIVITATIS, cum quæcunque ea ſit, monarchia, an polyarchia, regularis an irregularis, POPVLVM certe minorem non efficiat: nihil denique POTENTIA, quæ populis auctoritatem conciliat, non autem ius perfectum largitur, aut magis ſummam illorum poteſtatem efficit.

§. XXVII.

Vnde per ſe clarum redditur, quam temere diſceptauerint *Dauid* BLONDELLVS & *Ioannes Iacobus* CHIFFLETIVS, ille pro *Gallorum*, hic pro *Hiſpanorum* eminentia: quamuis in aliis rebus cognoſcendis admodum prodeſſe poſſint eorum volumina. Nec nocet, fuiſſe huiuſmodi argumenta in rerum actibus ali-

aliquando, &, vbi de fœderibus, pace, bello conuenere gentium legati, in medium adlata. Fecere hoc adminiſtri ſolida rerum harum cognitione deſtituti ac popularibus rationibus manus dantes: contra euntibus aliis, ſaniori doctrina imbutis.

§. XXVIII.

Quocirca vix reprehendendi videntur *Galli*, ac *Sueci*, quando Romanorum Imperatori, qui *ſacræ majeſtatis* titulum ſibi ſingulariter deberi contendit, hac parte repugnarunt, atque idem elogium affectarunt, ceu pacis Monaſterienſis atque Oſnabrugenſis acta & *Aubrius* in vita *Mazarini* luculenter teſtantur; ſiquidem *ſacrum* ſignificet *inuiolabile*, auguſtum. Neque enim Rex vnus magis eſt inuiolabilis, ſacroſanctus, auguſtus, magisque ſummus, quam alter. At alia eſt ratio, quare Romano imperio hic titulus ac nota adhæreſcat: idque *I. H. Bæclerus* ſingulari diſſertatione oſtendit. Nam ſicuti Pontifex Romanus ſuum imperium, in quo ille Vicarium ſe appellat Jeſu Chriſti, ſacrum nominat; ita Imperatoris maieſtas, hoc in imperio exſplendeſcens, appellatur ſacra. Quod verbi ceteris Regibus *eo ſenſu* tribui nequit.

§. XXIX.

Quidquid igitur hodie inter Principes ac Reſpublicas differentiæ obſeruatur, partim e *pactis*, quæ alteri ius dant, venit, partim *pru-*

prudentia cauente & ſuadente, partim *ſuperſtitioni* adſcribendum.

§. XXX.

Vnde vſu venit, obſeruatore *Leibnitio*, qui eſt ille commentitius FÜRSTENERIVS, in libro *de ſuprematu*, vt Principes ſagaces in id incumberent, quo honores & officiorum nonnulla genera ſibi ab aliis STIPVLARENTVR; eſtque cognitum e *Danielis Eremitæ* itinerario, quod propoſitum fuerit magno Etruriæ Duci ſplendidiſſimam legationem ad aulas Germaniæ præcipuas mittenti.

§. XXXI.

POSSESSIO enim ſola, *vnilaterali facto*, acquiſita, nihil iuris dat: hinc *conſenſu*, æqualium alioquin, opus eſt, ſiue *expreſſo*, ſiue *tacito*. Cui innituntur, qui poſſeſſionem hac parte iactant, & vrgent.

§. XXXII.

POTENTIÆ conſideratio vero ſuadet vtique, ne eum poſthabeamus, qui & prodeſſe, & nocere poteſt; eoque prudentiæ eſt, CAVERE, ne quis viribus SVPERIORI anſam det iraſcendi; *ſine cauſſa* licet iraſcatur. Idque fecit, vt Imperator Romanus & Rex Germaniæ, Gallus, Hiſpanus, maiori a ceteris honore afficerentur, pro re nata & menſura potentiæ; iique nonnunquam cultus *externi* ac *novi formam* præſcriberent: indeque deducendum, Germaniæ & Italiæ Principes aliquando maiori dignatione cenſeri;

ſeri; ſuaque eo conſilia dirigere, vt & *libertas* & *potentia* ipſorum appareat magna, SVASORIA vi pollens, ne quid honoris facile denegetur tanto robore & auctoritate pollentibus. Per ſe vero *potentia*, qualiſcunque ſit, ſine accedente facto nouo, nihil ceu diximus, eminentiæ gignit.

XXXIII.

Potentia autem ſæpe apparet maior, quo Princeps vnus alteri vicinior & vtilior, & propter affinitates, fœdera ac proprias vires magis formidandus. Notabilis hoc loco reſponſio LVDOVICI XIV. Galliarum Regis, repetenda, quam *Eſtradio* & *Colberto* dedit, de quibuſdam Germaniæ Principibus ſciſcitantibus, qui maiores & ſimiles Electoribus honores in tractatibus pacis Neomagenſis a Legatis Franciæ poſcebant, in medium adducentes exempla *Caroli* Audacis, *Alberti* Belgii ac demum *Neoburgici* Principis: quibus neutiquam auſcultandum cenſebat adhuc Rex ſagax, poſcentium auxiliis facile carens, ac nullam inde ſingularem vtilitatem ſperans. De *Luſitanis* noſtra ætate ſimile ferme obſeruauimus.

§. XXXIV.

Quid interea SVPERSTITIO poſſit, inde potiſſimum elucet, quod *Pontifici Romano* quædam aſſurgant gentes, eiuſque, ſeu Paſtoris & Patris vniuerſalis, vocem audiant aliquando. Ex eo enim eſt, quod is *Reges*

in

in Baſilica ſua, tanquam *filios* ſuos, pro arbitrio locet, hunc *Chriſtianiſſimi*, alterum *Catholici*, *Defenſoris fidei*, *obedientiſſimi* nomine inſigniens; Rempublicamque hanc alteri præferat, illam poſtponat: cuius dictatis, etſi quidam acquieſcant in *capella*, ſeu *Baſilica* Pontificia, ob venerationem, qua Petri ſucceſſori addicti ſunt; vix tamen conſequitur, vt extra hunc locum ſacrum obſtringantur ſimili obſequio; quod *Veneti* cum *Paulo Seruita* fortiter obiecerunt Pontificis Romani deciſum & προεδρίας ſtabilitæ præiudicium vrgentibus.

De statv imperii sev civitatis.

§. XXXV.

In hoc ceſſare quidem æqualitas videtur; cum *exiſtimatio*, ciuium imperio ſubiectorum, minime appareat æqualis atque eadem. Sed *videtur* ſolum. Iubent imperantes, parent ciues. Verum tamen, quia parent, omnes nihilominus cenſentur æquales, paris exiſtimationis, ac digni, qui defendantur ceu homines, ac ciues eandem naturam ac finem conſociationis habentes, atque ex conſequenti ab omni contemptu merito vindicentur; donec aliquis leges enormiter violet, vel magiſtratus ſummus, qui totum populum ac ciuitatem repræſentat, nonnullis aliquid prærogatiui iuris adiiciat.

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Atque hinc eſt, quod EXISTIMATIO in *ſimplicem* poſſit diſpeſci, atque *intentam*, ſeu *auctam*. Doctores hic ambages ſectantur, ipſeque *Puffendorfius* inutilibus diuiſionibus fatigatur.

§. XXXVII.

SIMPLEX EXISTIMATIO ad ciuium communem viuendi modum comparatur, atque tam diu æqualitas præſumitur, vsque dum IMPROBITAS SINGVLARIS clare pateſiat. Neque enim quoduis vitium populari & communi exiſtimationi obeſſe creditur.

§. XXXVIII.

INTENTA exiſtimatio ita a me appellatur, quia ÆQVALITATEM quadantenus tollit, atque valorem *intendit* & auget, ac ceteros *dignatione* efficit minores.

§. XXXIX.

Eius *fundamentum*, ſi res rite conſideretur, virtus & ingenium eſſe deberet: vtut id negligitur vulgo.

§. XL.

Nam ſæpe imperantes illam non merentibus conferunt, qui neque *ingenii præſtantia*, neque *morum integritate*, neque *fortitudine* alios antecedunt; quid? quod haud raro vltimo loco collocantur, quibus non tantum nihil improbitatis, aut ignorantiæ obiici poteſt; ſed qui etiam reipublicæ vtiliores ceteris ſunt, eoque præſtantiores.

§. XLI.

Ex quo fit, vt *exiſtimatio intenta* nunc a ciuitatis iudicio & opinione vnice dependeat.

§. XLII.

Ab hoc fonte HONOR omnis deriuandus eſt, quem ſignis externis & in ciuitate conſuetis ciuis exhibere ciui obſtringitur: quamuis ſerius venerationis affectus præcipi nequeat: indeque quæſtionis deciſio dependet, an quis ad ſigna, aut verba honoris cogi queat?

§. XLIII.

Ex eodem principio plebeia conditio manat: quæ pro iudicio ciuitatis & *forma* eius diverſa, atque *imperantium varia inclinatione* & *ſuperſtitione* multis modis differt.

§. XLIV.

Inde nobiles, ſacerdotes, doctos, milites, mercatores, diuites, pauperes extolli aliquando, nonnunquam minui, interdum deprimi videmus. Apud *Judæos* nemo nobilior altero fuit: *Turcæ* eandem differentiam neſciunt: hic togati militibus anteeunt; iſthic hi illis: in Democratiis paupertas laudatur: alibi opulentia regnat: Wenceslaus *carnificem* extulit; vt *Tiberium*, *Caligulam* aliosque Imperatores Romanos omittam: patetque hinc, quam ſit inane, in eiuſmodi arbitrariis ponere fiduciam, quæ variant, &, pro vanitate imperantium, mutantur.

§. XLV.

§. XLV.

Simili ratione non eſt exiſtimandum, ſpuriis & illegitimis liberis, lictoribus, excoriatoribus, carnificibus, ſeruis per ſe aliquid maculæ adhærere. Quidquid hic occurrit, inde venit, quod homines abiecti ac peſſimis moribus præditi obſeruentur huius generis operas affectare; ac ſpurii vero in libidinem tam proni exiſtimentur, quam fuere Parentes vagos ſectati coitus. Igitur bonos mores iis per commentum adiicias; & *exiſtimatio* protinus augebitur. Apud Germanos & vetuſtos Gallos ſacerdotes, ſingulari ſanctitatis ſpecie conſpicui, verberabant, vinciebant, neci dabant. Contra apud Romanos humilibus & ſordidiſſimis perſonis id erat negotii datum. Hinc extra portam habitabat carnifex & infamis habebatur. In quibusdam Germaniæ locis adhuc ciues iuniores hocce officio funguntur, ſicut olim apud Burgundos. Plerumque vero, partim Romano iure, partim Chriſtianorum principiis imbuti, non adeo magnifice de carnifice eiusque adiutoribus ſentimus. Primi etenim Chriſtiani eos ob ſanguinis humani fuſionem horrebant, qui horror ex iure Canonum pellucet etiam nunc; ceu *Hertius* ad PVFFENDORFFIVM de *I. N.* & *G. Lib. VIII. c.* 4. *n.* 6. bene deprehendit. Nec liberorum naturalium apud Romanos, Hiſpanos Francosque eadem ſemper ratio fuit habita. In regnis namque ſuc-

ceſſiſſe eos tenemus; donec, Parentum luxurioſa vita penitius conſiderata, ſacerdotes diſciplinæ ſeueriori inuigilantes aliam opinionem introduxere, ſimilem in liberis improbitatem timentes.

§. XLVI.

Ex IMPROBITATE enim ſiue vera, ſiue facta *vituperium* oritur.

§. XLVII.

VITVPERIVM vel exiſtimationi & famæ aliquid detrahit, & *ignominiam* operatur, vel famam & honorem penitus conſumit, *infamiamque* generat.

§. XLVIII.

INFAMIA vel *iuris* dicitur, vel *facti*.

§. XLIX.

PRIMA a *ciuitate* infligitur merentibus, & quidem vel ἀμέσως, vel ἐμμέσως.

§. L.

Aliquando enim cauſſæ cognitio interuenit & ſententia; aliquando præcedentis legis vis talem effectum gignit. Ita Romani in ſcenam euntem, cuius animi leuitas publice innoteſcebat, *ipſo iure* infamem dixerunt, qui non eſſet amplius damnandus, ſed ſe ipſum condemnaſſet. At vbi nondum patebat ſcelus, neque euidens erat improbitas, ampliori certe opus erat perquiſitione, veluti cum in contractibus ſingularem *candorem* poſtulantibus & *fiduciæ* rationem habentibus, dolus interueniſſe ferebatur. Hæcque

INFA-

INFAMIA maculam *poſitiuam* adfigebat peccanti, ceu loquitur *Titius*, Lipſienſis Doctor, haud facile tollendam, niſi iterum *imperii* auxilio.

§. LI.

INFAMIA facti vero rurſum tollebatur, ſi emendatior obſeruaretur vita, & meliora facta abolerent priſtina facinora, ob quæ fama in aliorum hominum animis extinguebatur, eoque præſidium magiſtratus neceſſarium non erat: prorſus atque ad IGNOMINIAM tollendam, quam Cenſoris auctoritas effecit, neutiquam requirebatur, vt cenſor iterum impreſſam notam facto ſuo abigeret. Vnde *ignominia* & *facti infamia* QVADANTENVS conueniunt: quod iam in diſſertatione de *Cenſoribus Romanis* in Gundlingianis *part. XVI.* animaduerti.

§. LII.

EXTERNVS EFFECTVS inde manans ſatis apertus eſt. Talis etenim homo vel pro minus honeſto, vel pro perſpicue inhoneſto atque iniuſto reputatur; habetque aut exiguum in ciuitate numerum, aut prorſus nullum.

§. LIII.

Ratione EFFECTVS INTERNI infamia notati aliter ſtatuendum; eſtque determinatu facile, ictum fuſtium non infamare, ſed cauſſam; putemque, opinione bonorum aliquem purum exiſtimari poſſe atque integrum, vtut

multitudinis voce, in Principis auctoritate acquieſcentis, vtique nomen videatur habere nullum.

§. LIV.

Signa ignominiæ infamiæque, quia ab arbitrio vniuscuiusque Imperantis pendent, varia ſunt. Habent Græci, Germani, Galli omnesque populi & nationes ſingularia; ſicuti ratione *poenarum* quoque obſeruatur differitas. Apud Francos *κυνοφορία* in vſu erat, gladii fractio, *cetera*, de quibus alio loco. De poenis Romanorum militaribus libellum non inelegantem conſcripſit *Suſtermannus.*

§. LV.

Hos terminos quando tranſiliunt ciues & infamiam infligere ſociis per ſe audent, peccant omnino & *iniuriam* faciunt; idque vocabuli hoc loco preſſius capimus, quam JCti Romani, vulnera, plagas, occiſionemque hominum liberorum eo referentes: quod exiſtimarent, læſionem ac damnum reparari non poſſe, cuius nullum ſit PRETIVM atque CERTA æſtimatio. *Germani* aliter rationes ſubducunt, nec temere per auerſionem ſatisfactionem delinquentibus iniungunt.

CAPVT

Caput VII.

DE IVRE CONTEMPTI IN CONTEMNENTEM, TVM IN STATV LIBERTATIS, TVM CIVITATIS.

§. I.

Qui alterum contemnit & ſine cauſſa, quantum in ſe eſt, infamare contendit, ſicuti iure omni deſtituitur, ita ſi rationem audiat, eandem oportet reſtituat. Perperam enim pacis ac ſocialitatis lex præciperet, ne quis contemnat alterum, niſi, quod aufertur, iterum ſit reſtituendum. Cui vix obeſt, reſtitui non poſſe, quod *ſenſu philoſophico* tolli nequiret. Sat eſt, opinione hominum, ad quam IVRIS PHILOSOPHIA ob quietem externam ſolet aliquando reſpicere, non nihil exiſtimationi decerpi, princeps ſit, aut Reſpublica, quæ iniuria afficiatur ab altera, an ciuis a ciue.

§. II.

Hinc declaratio honorifica, ſi verba & ſigna ſint ambigua, merito flagitatur, etiam deprecatio, vbi iniuria claret, aliaque ſatisfactio rationabilis poſcitur, vt ſic recuperet contemptus, quod, gentium ac ciuium credulitate, amiſit. Qualia exempla etiam inter liberos populos ac Reges vix deficiunt,

notaque ſunt LVDOVICI XIV. & INNOCENTII Pontificis diffidia, itemque Januenſium & Regis eiusdem, ac Belgarum, qui ſolis per caſeum obfuſcati imagine *Ludovicum* in contemptum adduxiſſe incuſabantur.

§. III.

Qui ſatisfacere contempto renuit, in ſtatu libertatis *bello* cogitur, in ſtatu ciuitatis *actione*: quamuis generoſius agant, qui contumelias ab aliis illatas diſſimulant, & obliuione ſepeliunt. Quod vniuscuiusque pudori non abs re relinquitur.

§. IV.

An obtineat RETORSIO in ſtatu libertatis? anceps quæſtio videtur, quamdiu non exponitur *retorſionis* vocabulum, quod multis impoſuit. Verumtamen, ſi attendatur, *retorquere* ſonare, maculam, quam alter mihi affricare temere molitur, abigere, & in alterum, vnde proceſſit iniuria, reiicere, patebit forte, eam videri *defenſionis* ſpeciem. Et vti vero ſe licet tueri, & ab aliorum iniuriis defendere; ita dubitari nequit, quin fieri id quoque a Principibus poſſit & in excelſo ætatem agentibus. Notæ ſunt lites inter IACOBVM II. magnæ Britanniæ Regem & principem WILHELMVM Auriacum FAGELIVMQVE: notæ retorſiones FRANCISCI I. in CAROLVM V. aliorumque Principum recentioris ætatis.

§. V.

§. V.

Exinde ſimul iudicari poteſt, quid in CIVITATE de iniuriarum actionibus & retorſionibus earumque morali æſtimatione ac permiſſione ſit habendum. Niſi enim omnes actiones & defenſiones e foro proſcribamus, non video ſane, quare hiſce ſolis exilium ſit indicendum?

§. VI.

FORMAM ACTIONVM eadem præſcribit ciuitas: quemadmodum & pœnas pro reipublicæ forma ac genio populi haud raro determinat. Hinc eſt, quod *æſtimatorias* introduxere Romani, quæ Germanis quadantenus apparent odioſæ: ſicuti e contrario *actio ad palinodiam* incognita Quiritibus fuit, quæ interea ratione nititur haud contemnenda. Homines namque mendaces & calumniis dediti plerumque hac parte peccant. Ergo fateantur, ſe mentitos, recantentque. Quæ recantatio, quia videtur delinquentibus & ambitione turgidis acerba, hinc diſputatum eſt inter Juriſconſultos, ſitne poenalis, an rei perſecutoria? ac defendi pro re nata diuerſaque comparatione vtrumque poteſt.

§. VII.

Tantum cauendum, ne pro contemptu & iniuria venditetur, quod iniuria non eſt; & a ſola alterius beneuolentia dependet. Vnde fruſtra iniuriam dixeris, ſi tranſitus, licet innoxius dicatur, atque ita petatur, denegetur:

getur: item matrimonia cum alicuius gentis ciuibus, vel Imperantibus reſpuantur, ac nemini peregrinorum atque exulum fixa ſedes terris in noſtris permittatur, quid? quod nec temporalibus pro re nata acceſſio ad littus aliquibus concedatur. Neque enim ad beneuolentiam & amicitiam cogi gentes queunt, quæ interdum non ſine cauſſa ſunt ſuſpicaces, neminique facile fidunt.

§. VIII.

Multo minus vero iniuriæ nomen *ingratitudo*, ſeu rectius, animus ingratus meretur. Quæ enim virtus præcipit, nec *bello*, nec *actione* exiguntur. Hinc valde cæcutit BOECLERVS de *actione ingrati* diſputans: utut alioquin iudicio valet, nec contemnendus eſt *Grotii* Interpres ac commentator. Aliud dicendum, ſi præter ingratum animum male facta accedant, iniuriæ, conuicia, *cetera*. Quod non obſeruatur in Actis ELISABETHÆ Reginæ, cui PHILIPPVS II. ingratum animum obiecit apud *Camdenum* & *Thuanum*, fortiter interea Hiſpano iracundo reſpondentis, atque inter alia vrgentis, vix beneficium eſſe dicendum, de quo tam magnifice ſentiret PHILIPPVS, dum vitam ELISABETHÆ ſeruauit, quam eripere coniux MARIA, ac comparate ſoror, conabatur virgini innoxiæ. Quidquid præſtitiſſet PHILIPPVS affinis, id eum proprii commodi cauſſa ſuſcepiſſe; qui proprii commodi reſpectus

ctus tolleret ideam ac vim omnem beneficii veri.

§. IX.

Quibus addas, inepta aliquando & noua honoris ſigna ac ritus poſcere Principes; atque e denegatione talium temere *iniurias* exſculpere. Cuiusmodi exemplum, tempore Io. CASIMIRI Regis, in Polonorum annalibus occurrit, cauſantibus Ruſſis, Principis ſui litteris non ſatis reuerenter eſſe habitas: atque in reſponſoriis *tituli* ratione, aliquid fuiſſe omiſſum, quod bello ſit vindicandum. Referuntur cuncta ordine in *Meyerbergii*, Legati Imperatorii, *itinerario.*

CAPVT VIII.

DE NON LÆDENDIS ALIIS TAM IN STATV LIBERTATIS QVAM CIVITATIS.

§. I.

LAedere hic ſignificat damnum in rebus noſtris dare: etſi nullum de non lædendo pactum anteceſſit.

Dicatur nonnihil de ambiguitate vocabuli *læſionis.*

§. II.

DAMNVM aliquid invitis *vere* demit.

§. III.

Qui vero inuitis aliquid reapſe adimit, pacem ſane non quærit. §.IV.

§. IV.

Damnvm late accipimus. Hinc *directum* atque id, quod datur *per conſequentiam*, huc pertinet.

§. V.

Nec diſtinguimus, dolus concurrat, an culpa, vtrum committendo fiat, an omittendo? mediate: an immediate? ſolitarie, an in turba & cum ſociis? principaliter, minus principaliter, an æque principaliter? poſitiue, an priuatiue, hoc eſt, adimendo quidpiam, an intercipiendo? cum lucro lædentis, an ſine lucro? phyſice, an moraliter? Vniuerſa quippe & ſingula hoc loco cenſeri debent illicita.

§. VI.

Et datur vero damnum in rebus, puta in *vita* & *fortunis* noſtris. De vita primum.

§. VII.

Corpvs ſicut animæ ſedes, ita inter hanc & illam arctiſſima conſuetudo eſt: quam deponimus inuiti.

§. VIII.

Corpus autem & animam non ab aliis, ſed a DEO accepimus.

§. IX.

Quod a DEO accepimus, iure conſeruamus, & in ſocietatis humanæ vtilitatem retinemus. Vnde autochiria remouetur: de qua in Ethica pluribus poteſt præcipi: quamuis fere perperam diſſeratur contra autocheires, li-

libriq; pro defenſione ἀυτοχειρίας ſcripti vane confutentur: quandoquidem inſanire videtur manus ſibi conſciſcens.

§. X.

Ad conſeruationem vitæ vero membrorum quoque integritas pertinet, & animæ cum corpore haud moleſta coniunctio.

§. XI.

Igitur, qui corpori meo damnum infert, vel aliquid de vita mea adimit, vel eam mihi moleſtiſſimam reddit: quod *moraliter* eſt adimere.

§. XII.

Inde etiam is, qui libertatem adimere & me in ſeruitutem redigere conatur, vitæ meæ inſidias ſtruere videtur. Neſcio enim, uti recte Lockivs de *gubernatione ciuili* philoſophatur, vitam mihi relicturus ſit, nec ne?

§. XIII.

Eadem ratio militat, ſi quis pudicitiam alteri eripere ſatagat. Homini enim honeſto nulla grauior contingere moleſtia, aut ſeruitus poteſt, quam ſi corpus ad petulantiam porrigere hoſti cogatur: quæ *Barbeyracii* non ſpernenda ratiocinatio eſt.

§. XIV.

Datur 2) damnum, vt diximus, in *fortunis.*

§. XV.

Fortvnæ vero cetera bona omnia ac res complectuntur, quæ ſunt in patrimonio, vel ſpe-

ſperantur, ut hæreditas, fructus.

§. XVI.

Res iſtæ vel ſunt *corporales*, vel *incorporales*.

§. XVII.

Corporales in ſenſus incurrunt, ac *Stoicorum* ſermone, qui tactvm pro primario ſenſu venditarunt, tangi poſſunt.

§. XVIII.

Eæqve, vel *mobiles* ſunt, vel ſe ipſas *moventes*, vel *immobiles*, de quibus ICti in libellis ſüis multa coaceruant & differunt.

§. XIX.

Omnes autem vel *neceſſariæ*, vel *vtiles*, vel *voluptariæ*, ſeu ad recreationem noſtram pertinentes.

§. XX.

Quare & earum omnium læſio ac violatio prohibita eſt; adeoque furtum, rapina ac quæuis bonorum noſtrorum imminutio & ademptio hic interdicitur.

§ XXI.

Incorporales in ſenſus quidem non incurrunt, ſed tamen intelliguntur, ac pro patrimonii acceſſionibus habentur, eoque nihil non ſunt: etſi iurisconſulti veteres res incorporales alio ſenſu non entia appellauere. Quod non cepit *Strauchius* ICtus, alioquin doctiſſimus, in *diſſertat. Juſtinianeis.*

§. XXII.

Hæ iterum duplicis generis ſunt, *quantitatis*

tatis nimirum, aut *qualitatis.*

§. XXIII.

Res incorporales QVANTITATIS ſunt numus, pondus, menſura.

§. XXIV.

Numus non eſt ipſa materia, ſed valor eius & poteſtas: quo ex conſequenti æſtimatio cuiusque rei in patrimonio exiſtentis pertinet. Vnde intelligitur, quare iuriſconſulti nomina neque ad res mobiles, neque immobiles retulerint: ſunt enim res incorporales.

§. XXV.

Res incorporales QVALITATIS jura ſignant patrimonium noſtrum comitantia, vel conſequentia.

§. XXVI.

Sed nec illæ eiusdem generis ſunt. Quædam aliquid *facti* adiunctum habent, ut *poſſeſſio*, quædam non, vt *dominium.*

§. XXVII.

De quibus vniverſis merito repetas, earum omnium læſionem ac violationem, vtut nullum pactum interuenit, adeoque furtum, rapinam, vim, ac quamuis bonorum noſtrorum imminutionem, ademptionem, & *lucri*, inprimis propinqui, *interceptionem* prohiberi.

§. XXVIII.

VLTIMA læſio ſubtilior eſt, adeoque in applicatione raro attenditur.

XXIX.

§. XXIX.

Quin autem lex de non lædendis aliis obſtringat & ciues & in libertate agentes, nemo dubitat: non obſtantibus latrociniis gentis in gentem olim, vel nunc obuiis. Neque enim ſtatus libertatis eſt ſtatus licentiæ. conf. §. 17. *cap. III.*

Capvt IX.

DE IVRE LÆSI IN LÆDENTEM, ET HVIVS OBLIGATIONE AD RESARCIENDVM DAMNVM IN STATV LIBERTATIS.

§. I.

SI homines omnes ſunt inuiolabiles niſi ſocialitate ſe ipſos fecerint indignos, ſi itidem nemo in vitam & fortunas noſtras iure poteſt; merito etiam nobis ius in lædentes conceſſum intelligitur.

§. II.

Ergo vbi imperium commune auxiliumque aliud nullum eſt, ibi læſi ſibi ipſis *auxilio* ſunt, & eſſe poſſunt.

§. III.

Nam etſi quis Deo committere pœnam poteſt; tamen cum pœna non ſtatim ſequatur, & vita interea reddatur inſociabilis & moleſta; non eſt ſane tam mirabilis patientia

tia ab homine, qua homine, hic loci exigenda.

§. IV.

Illud vero auxilium non poterit diſplicere Legislatori ſupremo, quia alias nequiſſimus quisque, ſaltem externe, meliori frueretur fato, quam homo innocens, & ſecundum mortalium communem modum quietus. Quod ita explicant nonnulli, vt non ſolum permiſſum, ſed etiam præceptum adfirment.

Conferri hic poteſt *Grotius* lib. I. Cap. II.

§. V.

Auxilii proprii effectus eſt *bellum.*

§. VI.

BELLVM hoc *defenſionis* quædam ſpecies videtur. Neque enim eſt bellum *offenſiuum* iuſtum, niſi quidem *verbis* ludas.

Examinentur quæ Auctor *obſeruationis Hallenſis* *ἀνόνυμος* Tom. IV. Obſ. VIII. in medium tulit.

§. VII.

Eo vel *damnum dandum auertimus*, vel *datum reparamus.*

§. VIII.

Non enim expectandum in hoc ſtatu eſt, donec actu lædar: quandoquidem magiſtratus præſidia deficiunt: ſufficit, me læſum iri certo: certum vero non *mathematice*, ſed *moraliter* capi debet.

§. IX.

Quamobrem præuenire hic præſtat, quam præueniri; idque cenſeri licitum debet, ſi

 leniora

leniora remedia non ſufficiant, nec pax obtineri *alia ratione* queat.

§. X.

Nam quamuis *Puffendorfius* exiſtimat, aliquem tantum contra prudentiæ regulam eſſe peccaturum, ſi pacis remedia *negligat*; non puto tamen, eum ſat habere rationis. Pax eſt quærenda, vbi haberi poteſt. Hinc belli indictiones ortæ ſunt: hinc arbitri adhibentur, & adhibendi ceteris paribus ſunt; aut etiam per colloquium amicabilis compoſitio tentanda, antequam gladius e vagina educatur. Nam & propter ſubditos nobis abſtinendum eſt a bello, ne temere exponantur ruinæ ac tot diſcriminibus.

§. XI.

A vbi alter me meaque oppugnare pertendat, aut ſuſpicio ſit non leuis, eum, altero oppreſſo, in me quoque conuerſurum tela; tum vero etiam cum cæde coercere oppugnaturum licebit. Qui enim meditatur ac meditari in me malum continuat, iuris ſenſu iam oppugnat. Et pro tali habetur, qui fortalitium in proximo ad me facilius ſupprimendum exſtruit, milites cogit, commeatum comparat, cetera.

§. XII.

Inde etiam diiudicari nullo negotio percelebris quæſtio poteſt, an metus creſcentis potentiæ ſit cauſſa belli legitima? Plerique cum *Grotio* negant; quia neſcio quod

incer-

incertum hic ſibi fingunt. Potius exploratum eſt, nunquam extitiſſe valde potentem, qui ceteros non depreſſerit infirmiores: ſique aduerſantium hac parte argumenta in contrarium conſiderantur, obſeruatur certe, eos a me vix diſſentire, quemadmodum nec *Grotius* ab *Alberico Gentili*, quem tamen is, adnotante *Boeclero*, confutat.

Egregium in hanc rem locum e *Grotii hiſtoria Belgica* doctiſſimus *Hertius* excerpſit in notis ad *Puffendorfii I. N. & G.* lib. II. cap. V. §. 6. Adde quæ *VV. vander Muelen* ad *Grotii* Lib. II. cap. I. §. 17. adnotauit, & nos ſcripſimus in *Gundlingianis* part. V.

§. XIII.

Quamobrem difficilis diſceptationis res eſt, quod ad applicationem, quis in ſtatu naturali ſit aggreſſor, quis impetitus, ſeu defenſor.

§. XIV.

Id certum, ad oppugnationem non requiri, vt vitam aliquis auferre mihi aperte conetur: ſufficit, ſi alapam, ſi verbera intentet, ſi membra mutilare, ſi pudicitiæ vim inferre, ſi libertatem adimere, vel minuere audeat; quid? quod ſi minas exſequi ſolitas ſpargat, ſi res meas, ſalvo corpore, ſpoliare ſatagat, aut ſpoliet. Sat eſt, non conſtare, ſit ne ab his initiis proceſſurus longius, nec ne? Sat eſt, alterum hoſtilem erga me animum oſtendere, quem depoſiturus ne ſit, ignoro. Sat eſt, me nullo

vinculo conſtringi, ut immodeſtiam & ferociam alterius patienti animo tolerem.

§. XV.

Hinc perſpicuum eſt, quam hic abſone philoſophentur, qui lædentis cædem & res inter ſe comparant ablatas, vel auferendas. Adde quæ *Puffendorfius* lib. II. cap. V. §. III. collegit.

§. XVI.

Idem dicendum per §. 5. *cap. VIII.* ſi quis noſtros, puta ſubiectos, aut noſtram perſonam repræſentantes, vti legatos, aut in fœdere nobiscum viuentes, earumque res temere lædat, adeoque per obliquum nos quoque. Quæ vero de externis, qui nos non attingunt ſpeciatim, vtut innocentibus, adfert *Lockius*, falſam de *bello punitiuo* hypotheſin ſapiunt, ac bellum omnium aduerſus omnes generare apta ſunt.

§. XVII.

Ceterum lædens non tantum eſt, qui *principaliter* nos oppugnat: ſed etiam qui oppugnantes *excitat*, *non impedit*, cum *impedire* poſſit, & lædentibus *auxilio* eſt, aut cum iis vnum cenſetur: nulla hic *ſexus* ratione habita. Vnde minime reprehendendus Imperator AVRELIANVS, qui Amazones in triumpho duxit.

§. XVIII.

Quæ res facit, vt etiam contra filium patris hoſtis, & ipſum Rectorem ciuitatis, ſi ſub-

ſubiecti, præſcitu ciuitatis damna dent, arma iure prehendantur; niſi animum contrarium manifeſto oſtendant. Scire enim & probare hoſtilia præſumuntur.

§. XIX.

Quemadmodum viciſſim non tenetur ciuitatis rector, ſi priuati piraticam in hoſtes exercendi facultatem adepti eadem in fœderatos abutantur, isque quas potuit & debuit, cautiones adhibuit. Ita nihil ELISABETHÆ Reginæ Angliæ adtribui culpæ potuit, quæ noxios ementitis ſignis vtentes vel puniendos, vel dedendos Gallis reſpondit ac promiſit. Nec Heluetiis inferre bellum iure potuit CAROLVS *Audax*, quod quidam ruſtici ex petulantia ſpoliarunt currum ex Burgundia pellibus ouillis onuſtum, cum, teſte *Cominæo*, iidem dedere delinquentes & reſarcire damnum ſpoponderint afflictis. Vid. *Grot.* lib. II. cap. XVII. §. 20. item lib. II. cap. XXI.

§. XX.

At recte ſumuntur arma contra eos, qui hoſtes noſtros recipiunt ſcienter, & inſtrumenta quibus noceatur, conſulto ſuppeditant. Commerciorum libertas nihil hic excuſationis tribuit: ſufficit mihi noceri, idque ELISABETHÆ Angliæ Reginæ reſponſo, Hanſeaticis ciuitatibus dato, illuſtrari poteſt.

§. XXI.

Dico *ſcienter*, ne quis pro lædente habeatur, qui neſciuit me lædi, nec adeo voluit. *Eam ob cauſſam*, inquit GROTIVS, *a bellum gerentibus publicæ ad alios populos ſignificationes fiunt, tum vt de cauſſa, tum etiam, vt de ſpe probabili exequendi iuris conſtet.*

§. XXII.

Dico, *quibus noceatur*. Hinc enim diſtinctio inter merces voluptarias & alteras, *quibus hoſtis potentior & audacior redditur* (*Marchandiſes de contrebande*) enata eſt. Quæ ad poſtremum genus pertineant, e deſcriptione intelligitur, ac ſæpe etiam publice deſignantur.

Vide quæ *Hertius* ad *Puffendorfium* L. VIII. cap. VI. n. 7. ſcripſit.

§. XXIII.

Interea caue pro lædentibus habeas, qui OFFICIVM HVMANITATIS, aut BENEFICIVM denegant; aut commercia certis de cauſſis interdicunt, aut tranſitum militarem, aut matrimonia, ſine contemptu & læſione denegant. Poteſt enim non tantum cauſſa prægnans occurrere, quare talia petentibus denegentur; verum etiam ratio haud leuis allegari, quare ad humanitatem & virtutem nemo cogi poſſit, ceu præcedenti capite iam monitum.

§. XXIV.

Caue quoque læſionem putes, quod ex NECES-

NECESSITATE ineluctabili ſuſcipitur. Ex quo quæſtionis deciſio dependet, liceat ne in ſolo pacato occupare locum hoſtibus commodum?

§. XXV.

Quibus conſtitutis in procliui erit determinare, quid læſis in lædentes liceat. Præponimus enim, eos eſſe hoſtes. Hoſtibus autem nocemus, & ab iis hac ratione tutos nos noſtrosque præſtamus.

§. XXVI.

Quocirca bellum ſuſcipientibus FACVLTAS NOCENDI concedi debet. Sed quæ? an infinita? Id diſceptatur.

§. XXVII.

Poſterius *Puffendorfius* non contemnendis argumentis adſtruit. Etſi enim eius decretum aliquid ſpirare *ferociæ* & omnem ſubuertere *pacem externam* videtur; tamen, ſi recte exponatur, veritati admodum conſentaneum erit. Neque id *Puffendorfius* vult, nunquam eſſe gladium in vaginam recondendum; ſed modum vltionis *proprio læſi iudicio* merito relinqui. Iudicium autem huius rectæ ſemper rationi conformari debet.

§. XXVIII.

Quocirca tam diu bellari, nocerique poteſt, quamdiu damnum nondum eſt reparatum, nec cautio ſufficiens exhibita. Vnde *poenitentiam profitenti* non ſtatim creditur, nec promittenti itidem meliora.

§. XXIX.

Cautio vero ſufficiens non ea eſt, quam *lædens*, vel *tertius* determinat, ſed quam ego, ratione in conſilium adhibita, neceſſariam exiſtimo: quamvis non negetur, ſæpe vltionis cupiditatem bellantes poſſe decipere.

§. XXX.

Sed poteſt etiam *alios* vel odium, vel arcana vtilitas in transuerſum rapere, vt me ſatis ſecurum tutumque credant, & pronuncient; etſi reapſe periculum, vel damnum aliquando impendeat maius.

§. XXXI.

Vnde hic nihil abſolute decidi poteſt; ſed propriæ conſcientiæ læſi totum vtique negotium videtur relinquendum.

§. XXXII.

Regvla, quam de cautione ſufficiente & damni reparatione generaliter ſtruximus, in abſtracto vera erit; in applicatione autem ſemper, aut ſaltem plerumque aliquid difficultatis occurret.

§. XXXIII.

Nec enim vnquam deerunt rationes, ſaltem externæ, quare arma nondum poſſint deponi: quia cautio a nemine, niſi ab eo, qui læſus eſt, in puncto determinari poteſt. Vt res ad arbitros, deſperata iam cauſſa, deferatur, *conſilii* eſt, non *neceſſitatis*.

§. XXXIV.

Facultate nocendi conceſſa, etiam me-

diis

DIIS cogendi & nocendi locus erit dandus.

§. XXXV.

Hæc vel vi expediunt, vel DOLO.

§. XXXVI.

VIS & DOLVS homines requirunt atque arma.

§. XXXVII.

Ad homines non tantum *læſi* ipſimet, verum etiam alii *adiutores* pertinent.

§. XXXVIII.

Hi vel *moratiores* exiſtimantur, vel *barbari*, itemque vel *liberi* ſunt, vel *ſerui*, vel *aliquo numero*, vel *contempti*, vel *nobis ſubiecti*, vel *hoſti*.

§. XXXIX.

ARMA quoque vel *licita* vulgo creduntur, vel *illicita*.

§. XL.

Sed cum vere hoſtis ſit, cum quo bellantibus negotium eſt; idcirco parum ſane intereſt, quocunque modo eum occidere & obruere ſatagant, ſi ferociam deponere cunctetur.

§. XLI.

Ergo ferro, fame, veneno, dolo atque armis quibuſcunque vti fas eſt.

§. XLII.

Etiam nihil refert, ſiue per barbaros & homines contemptos, ſiue Turcas ſiue Chriſtianos, ſiue tuæ, ſiue inimici poteſtati ſubiectos, ſiue percuſſores immiſſos, carnifices, & licto-

tores, ſingulari pugna, an prælio cogatur & tollatur. Eſt enim hoſtis, quem terrere, & occidere licite poſſumus: vnde a quo occidatur & terreatur, vix refert. Nam etſi ſunt, qui alterius ditioni ſubditos ad ſeditionem excitari poſſe abnuunt, non tamen conſiderant illi, quod in bello plura ſint licita, quæ pacis tempore habentur nefaria. Certe occidimus, rapimus, ad incitas redigimus innoxios ſæpe ciues inimici noſtri; ac nemo belligerantes adfirmat peccare. Igitur nec peccabit, qui ſubiectos hoſtes in Imperantem ſuum incitat. Saltem ipſi nihil imputabitur iure, qui a ceruice ſua abigere malum omni ſtudio molitur, atque hoſti nocenti adimere vires conatur. An peccent rebelles? vix pertinet ad quæſtionem. Alias enim nec transfugæ ulli, nec proditori præbendæ forent aures, quia, dum præbentur, in propoſito ſuo confirmatur & obſtinatior iſte fit. Hoſtis meus perdendus eſt. Siue igitur perdatur a peccatoribus, ſiue probis, hac parte perinde erit. Meus ſcopus eſt, deſtruere nociturum. Et neque is vero deſtrui facilius poteſt, quam ſi fidelibus ciuibus priuetur. Primum falſum in opinione contraria eſt, me Principem inimicum dignum interea reputare, qui imperet, & cui pareant ſubiecti. Quod potius negandum. Neque enim dubitandum, quin, ſi ſolio deiicere alter alterum poſſit, id certe ſit facturus.

§. XLIII.

§. XLIII.

Aliter iudicantes ſecundum ideas philoſophicas bella gerunt, & cum inimicis veluti amicis agendum ſuadent.

Differatur de illuſtris *Cocceji* ſchediaſmate *de armis illicitis*. Perturbauit hic omnia commentitium, quod plerique crepant, gentium ius: v. *Grot.* de I. B. & P. *Lib.* III. c. 4. §. 15. ſeq.

§. XLIV.

Magicæ artes vero non propterea remouentur, quia modus terrendi nimium crudelis; ſed quia nulli mortalium licitum eſt, Satanæ auxilium implorare: dummodo teneas, vix ſuppetere exemplum, vbi magica vi ſit perterrefactus & occiſus hoſtis: etſi quidam inter ſe de non adhibendis incantationibus pepigerunt belligerantes. De *Suecis* & *Cæſareis* res in vulgus nota eſt, paciſcentibus, ne qua pars ad magica confugiat. Timebant enim Lappones Cæſarei, de quorum artibus occultis multa in vulgus ſpargebantur.

§. XLV.

De rebvs idem ſentiendum eſt. Perduntur & abſtrahuntur res, etiam ſacræ & religioſæ. Nihil enim his rebus ſanctum & ſacrum per ſe ineſt.

§. XLVI.

Aliud foret, ſi quis aliquid ſacri eiuſcemodi bonis inhærere credat. Tum enim contra conſcientiam, licet errantem, ageret viola-

lator. POMPONIVS ICtus Romanus has res belli tempore qualitatem ſanctitatis & diuinitatis amittere ſcripſit.

§. XLVII.

Quæ hic de temperamento æquitatis e GROTIO immiſcent doctores, partim ad læſi iudicium, vti diximus, pertinent, partim ad ethica præcepta, partim prudentiæ ac decori regulas.

§. XLVIII.

Quod ſi lædens deuitare hæc triſtia cupiat, tum, vti obſtrictus eſt, ſatisfactionem offerat, damnum reſarciat, ſatisdet.

§. XLIX.

Fruſtra etenim præceptum foret, ne quis lædatur, niſi etiam obligatio ex parte lædentis oriretur ad damnum reſtituendum.

§. L.

Sed quomodo, ais, reparabitur damnum, quomodo interfectio, membri mutilatio, erepta virginitas, adulterium, cetera?

§. LI.

Et puto, quod ad INTERFECTIONEM, ante omnia eſſe diſtinguendum, vtrum quis hominem ſingularem iniuſte occiderit, an, uti in bello fit, plures vel per ſe, vel per alios?

§. LII.

Sin prius, reparanda eſt ſpes alimentorum coniugi, liberis, propinquis pro ætate defuncti. Ita Hercules *Iphiti* a ſe occiſi liberis mulctam pependit. Corpus namque & vita

vita hominis liberi æſtimari non poteſt : non a defuncto : nam non entis nulla ſunt accidentia : non a propinquis; nam hi non tam corpus & vitam mortui, quam id, quod intereſt, reſpiciunt. Lucrum futurum, quod eſt fere incertum, vix in conſiderationem venit.

§. LIII.

Sin poſterius, tum vero per auerſionem & tranſactionem damnum ciuitati rependitur, quæ deinde ſuis, quod deeſt, ex arbitrio, æquitate ſubnixo, tribuere poteſt.

§. LIV.

Paria de MVTILATIONE membrorum tenenda ſunt. Nec enim membrum æſtimatur; ſed damnum, quod quis ob mutilationem & ablationem eiusdem ſentit. Vnde dubium non eſt, quin impenſæ in curationem vulneris factæ, & alimenta mutilato, aut propinquis eius præſtanda in reparatione damni ſint attendenda. Si quis in bello & inter plures membri & ſanitatis ſuæ iacturam fecit, a Rectore ciuitatis, cui nomine omnium ſatisfit, ſolatium exſpectet. Hinc optimum inſtitutum, vt *inualidis* proſpiciatur, vt truncati atque emeriti alantur.

§. LV.

Qui VIRGINEM imminuit volentem & vltro conſentientem, nihil reſtituit : damnum, quod quis ſua culpa ſentit, non eſt damnum. Ita fruſtra *Thaleſtris* reparationem

nem damni ab *Alexandro M.* exegiſſet; vtpote quæ concubitum ipſa expetiuit. Simili modo Phœnices apud *Herodotum* rationes ſubduxerunt, quando virginem, quæ vocabatur *Io*, voluntarie corporis vſuram præbuiſſe ſtupratori ſuo adfirmarunt: vnde nulla Græcis belli cauſſa ſit, nec reſtitutio damni peti poſſit. *Herodotus* de Græciæ adoleſcentibus, amores ſectantibus, plura refert huiusmodi, quæ hodie legentibus videntur incredibilia; dum non cogitant, Inſulas Græciæ paucis primum familiis fuiſſe repletas, & hos atque illos viſitaſſe vicinos, ceu *Dina* ad proxime habitantes fœminas acceſſit.

§. LVI.

Quod ſi vel *fraude* pelliciatur, vel *violenter* ad libidinem rapiatur virgo, tum reſtitutionem damni & alimenta pro partu merito ea vrget. Quare, ſi promiſſum matrimonium, pactum videtur ſeruandum, ſin minus, dotanda eſt, aut, ſi velit, ducenda.

§. LVII.

Adulter vero cum marito inferat damnum & in alienum hortum ferat, ad pullos ſuos ſuſtentandos obſtringitur. Quod, quamuis inter gentes hodie raro contingat, non deſunt tamen exempla. Saltem *Chilperici* cum *Baſſina* adulterium in Francorum annalibus notum eſt: vt cetera, quæ apud *Herodotum* occurrunt, prætermittam. Quod

vero

vero de legitima liberorum reliquorum, quibus accreuere forte fratres ſororesque, dicitur, ad rhombum vix pertinet. Nondum enim tempus eſt, vt de legitima portione diſputetur, ac multo minus de legitima viuentium. Immo ſi adulter ipſemet alat genitos ſuos, fruſtra certe conqueruntur priores matris adulteræ liberi. Sin maritus mortuus, nec conſtet, cuius ſint nati; tum quidem adeſſet ſpecies, de qua quæritur; ac liberi legitimi poſſent facere damnum. Sed tunc potius indicandum eſſet ab infeſſore alieni matrimonii ſcelus; &, ſi accepiſſet iam nonnihil illegitimus, id foret reddendum; aut denique, ſi conſumſiſſet, refundendum ab eo, qui damni fuit auctor. Sed hæc in raris reponi fas erit.

§. LVIII.

An vero *duci* poſſit adultera e domo mariti expulſa, aut vltro ſecedens, aut etiam ſoluta? quæritur. Ego adfirmo. Vt ne enim adulter feminam, quam polluit, ducat, ad ius arbitrarium referendum, ac neutiquam ex iure neceſſario demonſtratur.

§. LIX.

Pensatio rervm olim etiam hominibus in ſeruitutem redactis fiebat, ſed qui hodie inter Chriſtianos certo pretio vel libertatem redimunt, vel ex pacto, pacis tempore, recuperant. Plerumque autem res rebus penſantur, terris, auro, argento, tranſeun-

ſeunte, vel permanente tributo, cetera.

§. L X.

Quod ſi ea interdum omittitur, tum vel ambigua eſt belli iuſtitia, vel victor victori legem dicit, vel vterque pacem, malis quibusque oblivioni mandatis, enixe deſiderat.

CAPVT X.

DE IVRE LÆSI IN LÆDENTEM ET HVIVS AD RESARCIENDVM DAMNVM OBLIGATIONE IN STATV CIVITATIS.

§. I.

IN ciuitate maior præſumitur quies & ſecuritas, quam in libertate. Viget in ea magiſtratus auctoritas, cuius implorari auxilium poteſt ac debet.

§. II.

Quare de iure læſi vnica regula attendenda: Quærendam eſſe pacem ac damni dati reparationem ciuitatis auxilio, vbi haberi poteſt; ſin minus, vtendum eſſe etiam cum internecione alterius, propria manuum ope.

§. III.

In hac totum, quod vocant, MODERAMEN iuculpatæ tutelæ fundatur.

§. IV.

Nam eo momento, quo me alter impugnat

gnat & vitæ damnum inferre ſatagit, ciuitatis præſidia deficiunt.

§. V.

Non hic conſideratur, quænam perſona ſit vtilior ac prudentior, quæ in maiori ſalutis æternæ amittendæ periculo conſtituatur, quæ non. Eſt enim id non tantum obſcuriſſimæ diſceptationis, ſed in præſenti diſputatione argumentum plane ineptum; cum hic agatur de iure, non de virtute plus quam heroica.

§. VI.

Quid Chriſtiana religio præcipiat, alibi indagandum eſt. Sed puto tamen & quaſi in transcurſu, pronuntio, nec eam violentæ defenſioni obſiſtere.

§. VII.

Abſonum quoque eſt, differere multum de armorum paritate, de fuga, cum iam inſtat hoſtis, de membro neceſſario & non neceſſario, de animi intentione lædentis, vtrum videlicet dolo faciat, an errore, ebrius, an ſobrius, furioſus, an ſanus, vulnerare ne velit, an occidere, impedire quis me in defenſione vitæ contendat, an ipſe aggrediatur, cogere ad alium interficiendum me velit, an me ipſum interficere ſatagat, cetera? Sufficit, me nulla obligatione obſtringi, vt moriar, aut moleſtiſſime aliquando viuam : præcipue cum obſcurum adhuc ſit, ſuperuicturusne ſim, nec ne?

G §. VIII.

§. VIII.

Nullum in eiusmodi cæde peccatum eſt. Vnde nulla ſatisfactio reipublicæ debetur, nulla occiſi propinquis & hæredibus, nulla etiam eccleſiæ. Quidquid in quibusdam ciuitatibus leges in contrarium determinant, partim ex ſuperſtitione eſt, partim prouidentia, ne licentia occidendi inualeſcat.

Lege, quæ *Puffendorfius* L. II. cap. V. §. 15. collegit.

§. IX.

Quod ſi vero PRINCEPS ſit, vel PATER, qui innocentem oppugnet & interficere conetur, Auctores quidam diſtinguunt. Ego de iure ſtricto nulli diſtinctioni locum fore puto. Saltem is Princeps, aut Pater propterea non eſt, me vt occidat, inque ſubditos ſibi graſſetur, ſed vt potenter tueatur.

§. X.

Eadem in PVDICITIÆ conſeruatione tenenda ſunt. Etſi enim hæc reparari quodammodo poteſt; tamen cum ignoret vim patiens, quousque tandem proceſſura ſit hoſtis audacia, etiam huius quæſtionis deciſio arbitrio & conſcientiæ læſi relinquitur.

§. XI.

De ALAPA vt ALAPA conſiderata ſecus ſentiendum. Quod ſi tamen periculum eſt, ne ab alapa ad verbera, a verberibus ad membri mutilationem, & cædem peruenturus ſit inimicus, rurſus variabit deciſio.

§. XII.

§. XII.

Tantum quæritur, an pro meis & propinquis eadem violentia ſit permiſſa? Et non dubitem, idem pro liberis, ſorore, fratre & vxore eo momento licere, quo magiſtratus auxilium haberi non poteſt. Qui ſecus ſentiunt, humanam naturam vix cognoſcunt, & præciſionibus mentis nimium tribuunt. Circa externos, eosque, qui peculiari vinculo nobis coniuncti non ſunt, ſubſiſto. Tentanda tamen ſunt omnia, vt civis & proximus conſeruetur; ac ſi in me quoque irruat, licite occidetur.

§. XIII.

Quibus conſtitutis peruideri facile poteſt, quando MODERAMINIS tempus *incipiat*; quando *deſinat*. Et credo, non ita laxandum eſſe, ſicut in naturæ ſtatu, ſpatium, vbi præuentio locum habet. Hic oppugnatio vera requiritur. Et actu autem me oppugnare cenſetur, qui arma oſtendit, vbi commode nequeo fugere, aut ita eſt conſtitutus, vt, ſi diutius exſpectem, propriis armis vti non liceat: veluti cum is gladio vtitur, ego bombarda. Minæ non ſufficiunt.

§. XIV.

DESINIT vero, vbi ad magiſtratum eundi facultas eſt, & *fuga* videtur *tuta*, aut, qui oppugnat, *pœnitentia* ductus, vel timore perculſus recedat ipſemet fugiatque.

§. XV.

Similiter fere de RERVM defenſione pronunciandum eſt. Nam & hæ ſæpe auxilio magiſtratus reparari nequeunt. Fruſtra inter res ad vitam ſuſtentandam neceſſarias & non neceſſarias diſtinguitur. Sufficit, mihi ius eſſe, vt rem meam ſeruem.

§. XVI.

Vnde FVR NOCTVRNVS merito occiditur, cum *armis* veniat, an *minus*, reapſe intentet eadem, an minus? Qui in ſacris litteris *Exod.* XXII. v. 1. iactatam diſtinctionem inueniri credunt, decipiuntur, ſonatque *venire cum inſtrumento* aliud plane, quam creditur vulgo.

§. XVII.

In FVRE DIVRNO hæc forte diſtinctio locum habebit. Proportionem inter rem & vitam alterius non niſi homines ſcrupuloſiſſimi & ſimul ignariſſimi vrgent. Clamorem partim *prudentia* ſuadet; partim *lex ciuilis* præcipiebat, inprimis, ſi quis ab actione legis Aquiliæ cuperet liberari.

§. XVIII.

Quod licet in furem, idem etiam permiſſum cenſetur in EREPTOREM ac turbam.

§. XIX.

Sed caue tamen, idem tibi permitti credas, cum *ceteris ciuibus* aliquid eripitur. Diſtincta ſunt dominia, diſtincti domini. Defendat ſe quisque, vtcunque iure poteſt: quam-

quamuis vitio mihi verti nequeat, ſi adiuuem vicinum neceſſitate preſſum.

§. XX.

Vti vero nemini licitum eſt, temere aliis inferre damnum; ita qui intulit obſtrictus eſt, vt vel *magiſtratus iudicio*, vel *proprio motu* idem reſarciat; vel etiam, vbi res poſcit, *damnum infectum* auertat.

§. XXI.

Non autem inferre videtur, qui caſu, vel neceſſitate ineluctabili compulſus nocet. Quid æquitas præcipiat, hoc loco decidi nequit: æquitas virtus eſt. Quid prudentia ſuadeat, ad politicam pertinet.

XXII.

Qui culpam admittit, certo modo vult quoque nocere, adeoque ad reparationem detrimenti merito obſtringitur.

§. XXIII.

Cvlpa omiſſio debitæ diligentiæ eſt. Diligentia gradus habet, ergo & negligentia. Sed ad hos hic loci parum reſpicitur.

§. XXIV.

Ex hac regula concluſio deriuatur, quæ de pauperie animalium & ſeruis in iure Romano atque patrio extat. Dubium enim non eſt, quin vel aliquid culpæ concurrat, vel dum ſeruum atque animal retineo, aut emo ſciens, approbem, quod factum eſt, vel reparare velim, quia retineo, emi, & apud me ſeruo. Qui ſecus ſtatuunt vel mentis

præciſionibus iterum indulgent, vel ad id, quod conſequitur, aut fit, minus curate attendunt.

Recte rationes *Ioannes Schilterus* exercit. ad D. XIX. §. II. ſubduxit.

§. XXV.

Idem dicendum, ſi quid corruptum in re noſtra fuit, aut poſitum, ſuſpenſumque, cuius caſus nocuit, etiam, ſi quid effuſum, incenſum, fractum, ad quod culpa concurrit noſtra, vel omittendo, vel committendo. Vbi dolus & culpa ceſſant, ceſſat quoque reparatio.

§. XXVI.

Legis AQVILIAE decreta hic non ſufficiunt. Nam præterquam quod ea nonnihil pœnale admiſcent, etiam nimis anguſta ſunt; niſi quidem exiſtimes, plura fuiſſe, quam nunc legimus, legis *Aquiliæ* capita, quod videtur veri admodum ſimile; nec negligendæ ſunt coniecturæ *Noodtii*, *Bynkerſhœckii*, *Cl. Chiffletii*, *Balduini*, itemque diſſertatio *Thomaſiana* : LARVA *Legi Aquiliæ detracta.*

§. XXVII.

Sed neque ſic tamen omnis anguſtia auferetur. Eſt enim notum, legem illam vindicare duntaxat damnum *poſitiuum* non *priuatiuum*, eoque ſolum, quod æſtimari ciuiliter poteſt : quamuis Iuriſconſulti poſteriores non adeo hic rigidi appareant : ut taceam

ceam ſubtilitates alias, de quibus in *lectionibus* iuris civilis.

§. XXVIII.

Nos omnis damni dolo, vel culpa noſtra in vita & rebus vere dati reſtitutionem hoc loco vrgemus.

§. XXIX.

Non nemo etiam CASVM addit. Sed vel in exemplo, quod affert, non eſt merus caſus, vel damnum dans ad reſarcitionem ex iuris naturæ ſtricte ſic dicti regulis non obligatur. Qua in ſententia conſentientem deprehendo *Barbeyracium* ad *Puffendorf.* Lib. III. cap. I. n. 2.

§. XXX.

FVRIOSVS vero & INFANS proprie loquendo nihil reſtituunt, quia pro non agentibus eoque abſentibus habentur. Quidquid eorum nomine fit, aliorum *æquitati* & *liberalitati* adtribuendum eſt, ſi iſti abundent bonis.

§. XXXI.

In reparatione damni idem fere in ciuitate MODVS ſeruatur atque in libertate. Saltem quod ad *interfectionem* ex culpa, vulnerationem, ſtuprum, adulterium, *parum* hoc loco *differentiæ* obſeruatur. Quæ de *Werigeldo* fere apud omnes moratiores gentes, aut ſimili inuento obſeruantur, alibi excutiemus: contenti interea iis, quæ *Hertius* congeſſit in diſſertatione *de hærede occiſi vindice.*

§. XXXII.

Quin res rebus *penſentur*, dubium non eſt. Tantum obſeruandum, in libertate interdum penſationem ob belli aleam & victoriam incertam omitti: in ciuitate ſine aperta iniuſtitiæ ſpecie omitti vix poteſt.

XXXIII.

De POENIS non eſt in hoc capite diſſerendum, partim quod arbitrariæ ſunt, partim etiam, quod hic de damno reparando agimus.

CAPVT XI.

DE NON TVRBANDIS ALIIS OB PACTVM, HVIVSQVE NATVRA IN GENERE.

§. I.

VTi homo modeſtus alteri relinquit quod citra pactum eius eſt; ita iuſtus, quod alteri promiſit, fideliter ſeruat.

§. II.

Et vti vero immodeſtus habetur, qui eripere alteri ſatagit, ad quod ius habet connatum; ita iniuſtus merito dicitur, qui ius alicui adimit acquiſitum ex pacto & artificio.

§. III.

Vtrumque turbat & paci externæ aduerſa-

ſatur. De priori id oſtendimus: de poſteriori oſtendemus.

§. IV.

Homines plures ſunt, nec, quod alias eſt oſtenſum, ſine aliorum auxilio viuere poſſunt.

§. V.

Quod ſi omnes virtute forent præditi, mutuum ſibi ſua ſponte auxilium impertire nunquam certe deſinerent: amor ſui rationalis menſura amoris erga alios longe æquiſſima foret. At cum exulet vbique virtus, nec, ſi adeſſet, ita ſemper conſtituti maneant homines, hinc pactis eorum non tantum vtilitati; ſed etiam ſecuritati proſpiciendum ſæpe ſæpius eſt.

§. VI.

Qui autem pactis ſibi proſpiciendum cenſet, & in idem cum alios conſentit, ſine dubio id, in quod conſentit, ſeruandum indicat: alias vel deciperet alterum, vel ſibimet *contrarius* pro ſtulto merito haberetur: quæ argumentatio eſt *Hobbeſii.*

§. VII.

Fraus vero paci externæ quaqua ratione repugnat; eoque is, qui migrat pactum, nec coniungi cum altero cupit, nec quietem, ſed bellum & diſcordias velle merito cenſetur. Cetera, quæ vulgo adferuntur, argumenta omittimus, quoniam ad *ethicam* partim, partim ad *politicam* pertinent.

§. VIII.

§. VIII.

Paciſci autem ſignificat conuenire cum alio, vel aliis in idem placitum, vt ita *ius irreuocabile* transferatur vel in ſolidum, vel pro parte definita.

§. IX.

Qui ius in aliquem transfert irrevocabile, aliquid de ſua libertate demit, & ita obligatur. Hinc vnus debitor, alter creditor dicitur.

§. X.

Ad hoc vero *conſenſus* itemque *reciprocus* requiritur, quoniam vtrique aliquid accedit: huic *obligatio*, illi *ius*.

§. XI.

CONSENSVS RECIPROCVS promiſſione & acceptatione abſoluitur.

§. XII.

Hinc vbi nulla ACCEPTATIO, (*) ibi nulla *pactio*.

(*) Contrariam opinionem defendere noſtris temporibus auſus eſt non nemo, in materia *donationis*. Quem cum in *Gundlingianis* confutaſſem modeſte, reſpondit is immodeſte, nec πρός ἔπος quod inferius clarius me oſtenſurum confido.

§. XIII.

Ergo ius naturæ neſcit *pollicitationem*, qua REIPVBLICÆ priuatim promittitur, neſcit *votum*, quo DEO aliquid deſtinatur: quia vtrinque *acceptatio* non apparet.

§. XIV.

Conſenſus reciprocus vti *ſerius* & ſingularis,

laris, ſeu *ſpecialis* eſt; ita rem certo præſtandam ac prorſus eandem ponit.

§. XV.

Itaque qui per *verba honoris*, vel *iocum* aliquid promittit, non conſentit in vnum.

§. XVI.

Ergo ADSERTIO generalis, quando videlicet peto, vt mihi credas, me iam hoc cogitare & velle, nondum pactio eſt.

§. XVII.

Ergo, ſi quid magis, vel minus in promiſſione eſt, quam in acceptatione, aut viciſſim in hac, pactio euaneſcit, quia deficit conſenſio reciproca & harmonia.

§. XVIII.

Ex quo concluditur, Iuriſconſultos male adfirmare abſolute, *plus* continere *minus*. Etſi enim hoc *phyſice* & *arithmetice* verum eſt; fallit tamen hæc in *moralibus* doctrina, tum in promiſſionibus *gratuitis*, tum *oneroſis*. Sæpe enim vſu venit, vt nec plus, nec minus mihi placeat, ſed quantitas certa ſpectetur.

§. XIX.

Qui adhuc *deliberat*, nihil *promittit*, nihil etiam *acceptat*.

§. XX.

Ergo TRACTATVS, quos vocant, non ſunt pactum, ad quod conſenſus ſufficienter *declaratus* requiritur.

§. XXI.

§ XXI.

Declaratio vel ſignis receptis, hoc eſt, verbis de præſenti, vel in præteritum fit, vnde oritur *expreſſus*, vel ex facto notiſſimo aliisque circumſtantiis colligitur, hinc *tacitus* exiſtit, vel ex facto quidem non omnibus cognito, per ratiocinationem tamen adſeritur, qui *præſumtus* dicitur. *Litteræ* vero etſi in pactis & conuentionibus adhiberi poſſunt; tamen neceſſario ad obligationem producendam non requiruntur.

§. XXII.

Quicunque poteſt expreſſe conſentire, ille & tacite poteſt; & qui non poteſt expreſſe conſentire, ille etiam tacite nequit.

§. XXIII.

Praesumtus conſenſus vulgo fictus dicitur, quamuis abſone. Lex enim non fingit; ſed præcipit, vel ſuadet, recteque *Theophilus Gerhardus* Titius Vir clariſſimus, præſumtam hanc opinionem exſibilauit; eſtque ille tacitus omnino, quem quia omnes non ſtatim animaduertunt, *lex* illum ſtupidioribus oſtendit.

§. XXIV.

Solennis verborum conceptio, quam ſtipulationem κατ' ἐξοχὴν appellarunt Romani, hic non requiritur. Quidquid illi decreuerunt, ex arcana Reipublicæ ratione factum cenſeri debet, aut timore, ne præcipiti modo aliquis obligaretur.

§. XXV.

§. XXV.

Quare falluntur, qui conſenſum verum ſine ſolennibus verborum declarari poſſe negant; aut omnia pacta nuda nil niſi ludum iocumque putant. Quod *Franciſcus* CONNANVS feciſſe dicitur, & certo fecit; ac falluntur vtque cum *Kulpiſio*, qui eum ab hac opinione defendere laborant.

§. XXVI.

Vtut vero conſenſus, &, quæ exinde deſcendit, pactio iis, quas deſcripſimus, partibus abſoluitur; tamen MODVS promittendi obſeruatur ſæpe diuerſus.

§. XXVII.

Vel enim *pure* promittimus, vel *in diem certum*, vel *ſub conditione*, vel *alterne*, vel *copulate*, vel *mediate*, vel *immediate*. *Cauſa finalis*, quam vulgo *modum* appellitant, conuentionem non *ſuſpendit*, ſed puram relinquit. Promitto namque ſine conditione & dilatione, ſine die & interuallo, alterique ius exigendi ſine mora permitto.

§. XXVIII.

Nam PVRA promiſſio perfecta eſt, nec differtur. Promiſſio IN DIEM moraliter certam crediti vel debiti ſpem dat, atque initium obligationis futuræ (*) indicat. CONDITIO vero ab euentu futuro, incerto & ſpeciali promiſſum ſuſpendit

(*) Vulgo quidem aiunt, in promiſſionibus in diem certum ſubeſſe iam debitum *actu* primo, ſed *exactionem*

tionem differri. Mihi vero ſecundum ius naturæ nihil ſubeſſe debiti videtur, donec dies veniat. Quod & *Hertio* placuiſſe deprehendo. Nam qui ſe petere non poſſe fatetur, is concedit, nihil quoque ante diem deberi. Reliqua ſophiſmata in *Gundlingianis* part. VI. obſ. 3. reſolui.

§. XXIX.

Hinc conditio non eſt, quæ *generaliter* in omni promiſſo continetur, nempe, ſi *velit*, aut niſi *nolit* accipere. Adiiciendum eſt aliquid *noue*. Hinc conditio, de qua nos loquimur, *qualitas adiecta* dicitur.

§. XXX.

Non eſt etiam, quæ adiicitur in *præſens*, vel *præteritum*, niſi ſenſus verbis inſit de futuro euentu. Ita in hac propoſitione, *ſi Meuius conſul eſt, dabo tibi centum*, hæc ſane interpretatio locum habere poteſt, ſi *probaueris*.

§. XXXI.

Non item, quæ vere IMPOSSIBILIS eſt, quia neceſſaria, nec ab euentu dependet incerto.

§. XXXII.

POSSIBILIS ſola vera conditio videtur, quam in *poteſtatiuam*, *caſualem* & *mixtam* perperam diſtinguunt. Omnis enim conditio aliquid caſus in ſe continet, etiam poteſtatiua. Quod niſi verum eſſet, hæc ſane conditio non foret.

§. XXXIII.

Conditio SVSPENSIVA vero & RESOLVTIVA

VA inter ſe reapſe non differunt. Vtrinque enim ſuſpenſio ab euentu futuro obſeruatur, etſi, impleta conditione, actus, ad quem refertur, vel reſoluitur, vel coaleſcit, adeoque *effectu* differunt. Vna namque *firmat*, altera *extinguit*, & obligationem in ſuſpenſo antea relictam prorſus tollit.

§. XXXIV.

Loci adiectio vel aliquid conditionis, vel ſaltem diem inuoluit, vsque dum ad locum peruenire liceat.

§. XXXV.

Alternativa vero, etſi non omnem libertatem promittentis & acceptantis tollit; tamen ad eligendum vnum alteruter vel *obſtringitur*, vel *ius habet*, de rebus præſtandis, an *loco* præſtationis ſermo ſit. Tantum obſeruandum, quid animo intenderint paciſcentes? ac ſicuti copvlativa promiſſionem atque obligationes multiplicat: ita alterna non auget, ſed *vna* eſt.

§. XXXVI.

Pari ratione ſimplex promiſſio eſt, atque vna, quam alio interueniente inimus. Ego quippe & mandatarius, ſeu procurator pro vna perſona habemur.

§. XXXVII.

Qui interea ſollicite diſtinguendus eſt ab eo, qui promiſſionem duntaxat ſignificat, vti tabellarius. Neque enim is in pactione ipſa interuenit, ſed vt miniſter eam, vtut igno-

ignotam ſibi, cum litteris affert.

§. XXXVIII.

Enim vero qui promittere cum effectu vult, facultatem conſentiendi tam *phyſicam*, quam *moralem* habeat neceſſe eſt.

§. XXXIX.

FACVLTAS PHYSICA intellectum & voluntatem, MORALIS approbationem legis præponit.

§. XL.

Infantes, furioſi, mente capti, ſumme ebrii non conſentiunt, quia nec intelligunt, nec volunt : imputet ſibi, qui cum his pactionem init.

§. XLI.

Furor, inſania atque ebrietas in ſenſus incurrunt. Infantiæ ac pueritiæ momentum lege naturali vix determinatur, cum in vno *citius* ſeſe exſerat ratiocinandi facultas; in altero *ſerius*, ad quam reſpiciendum eſt cum maxime, adoleſcens deinde ſit, an in puerili ætate conſtitutus?

§. XLII.

ERRANTES autem, vtvt eo momento non intelligunt, quod agunt; non eſt tamen error eorum adeo ſemper efficax, omnis vt tollatur conſenſus, ſeu voluntas; quemadmodum iam *capite IV.* ea de re abunde dictum.

§. XLIII.

DOLVS intuitu decepti, error efficax eſt : de

de quo iterum copioſe *Cap.* IV. §. 40.

§. XLIV.

Qui, quod fieri NON POTEST, promittit, vel etiam acceptat, pro ſtulto habetur, atque abſente.

§. XLV.

Sed caue tamen, ne DIFFICILE confundas cum eo, quod fieri abſolute non poteſt.

§. XLVI.

Caue quoque, ne quod ex poſt facto IMPOSSIBILE fit, pro abſolute impoſſibili habeas.

§. XLVII.

Caue amplius, ne, quod LEGE prohibitum eſt, impoſſibile cum Doctorum vulgo incongrue dicas.

§. XLVIII.

Poteſt id fieri omnino; ſed peccat, nec vtique ad exſequendum obligatur promiſſor; nec, etiamſi præſtitit, actus roboratur, quia voluntas noſtra voluntati Legiſlatoris nunquam non debet eſſe congruens.

§. XLIX.

Quod ſi aliquando robur adipiſcatur, tum vero id ſecundo, non primo conſenſui adtribuendum eſt. Quæ de *propriæ turpitudinis allegatione* hic immiſcent Doctores, partim inficeta ſunt, partim aliena a ſcopo: quod in ſequentibus clarius docebitur.

§. L.

Id certius, vt, ſicuti requiritur facultas

promittendi moralis; ita quoque requiratur *acceptandi.* Ex quo eſt, quod promiſſiones METV extortæ nullæ ſint, ceu demonſtratum *cap.* IV. §. 43. Nam quod VFFELMANNVS *de officiis* ſermocinantium adfert, ac ſi metu preſſus ius acceptandi homini violento permitteret, nimis benignum eſt. In tali enim perturbatione de IVRE acceptandi cogitat nemo, vtut de acceptione cogitare aliquis poteſt, & forte cogitat. De quo vero cogitatum non eſt, illud quoque non videtur permiſſum: vt aliorum rationes *Vffelmanno* obductas prætercam. Diſſentientes omnes, ipſumque *Grotium* ius Romanum decepit, quod firma exiſtimabat id generis promiſſa, ſaltem *in contractibus ſtricti iuris*, reſcindenda demum prætoria auctoritate, æquitatis ſpecie conueſtita.

§. LI.

Ex eodem fonte deriuatur, nec *res alienas* corporales, nec incorporales vt *iura*, nec *facta aliena*, cum firmitudine promitti. Qui enim paciſcitur, aliquid ſibi ſumit, inque alterum transfert. Alienum vero non eſt meum. Nec refert, *temporarium* ius ſit, an *perpetuum*. Sufficit, nondum ius iſtud pertinere ad me, ſed ab altero teneri adhuc.

§. LII.

De FACTIS alienis interea tenendum, promittentem alterius præſtationem ad ſummum obligari conatum: quantiſcunque clauſulis

val-

vallata ſit pactio. Quod ſi vero *abſolute* FACTVM ALIENVM fuerit receptum, tum quidem tertius non obſtringetur; recipiens tamen ſine exceptione tenebitur ipſemet.

§. LIII.

Sed an pro TERTIO aliquis poſſit ſine mandato acceptare? paullo difficilior inſpectio eſt. Nam licet negotium alterius te geſſiſſe dicas; ſemper tamen exceptio obſtabit: *tua non intereſt.* Vnde clarere videtur, oſtendendum eſſe, 1) *tua intereſſe* 2) *alterum conſulto ac fixo animo promiſiſſe*, atque te itidem conſulta ac determinata ratione *acceptaſſe*. Qui enim ἐν παρόδῳ aliquid enuntiat, & ſe daturum, aut facturum, intuitu tertii, generatim adfirmat, nondum ius acceptandi fixum cuiquam permittit, aut defert.

§. LIV.

Ceterum quæ obſeruantur in promiſſione, eadem animaduertuntur in RENVNCIATIONE. Ac ſicuti PACTIO *fines* habet ſuos in *acquirendo*; ita RENVNCIATIO habet in *remittendo*; ad quos reſpicere Juris interpretes & debent ac ſolent: indeque vſu venit, vt tam magna & copioſa ea de re volumina conſcriberentur.

§. LV.

Ac quamuis in iure Romano variæ tricæ occurrunt de RESTITVTIONIBVS in integrum ex capite *doli*, *metus*; in noſtra tamen diſciplina altum de iis ſilentium eſt, quæ *prætorem*

torem non ſolum ignorat; ſed & id genus negotia pro *nullis* habet.

§. LVI.

Quibus ita conſtitutis merito repetimus, pactum ſerium, verum, acceptatum, cui nihil ex recenſitis impedimentis obeſt, non niſi vtriusque conſenſu reuocari, aut immutari poſſe, quia vterque ad illius firmitatem concurrit. Vtrum autem ad hæredes obligatio porrigatur, e modo promittendi elucet.

§. LVII.

Eiusmodi pactum ratione obligationis vnum eſt, nec ſecundum rationis principia aliquid inter pactum & contractum differentiæ deprehenditur: quod infra, vbi de pretio rerum diſſeremus, clarius fiet. Sed fecerunt tamen variæ relationes & commutationum modi, ſecundum intentionem paciſcentium diuerſi, vt variæ diuiſiones inualeſcerent. Hinc tot contractus, hinc pacta coorta ſunt *perſonalia*, *realia*, *promiſſoria*, *liberatoria*, *renunciatiua*, *affirmatiua*, *negatiua*, *detrahentia*, *adiicientia*, cetera. Quis enim omnes denominationes externas hoc loco cenſebit inculcandas?

Capvt

CAPVT XII.

DE EFFECTV PACTORVM SEV CONVENTIONVM IN STATV LIBERTATIS ET INTER GENTES.

§. I.

SEd forte non obſtringuntur pactis ſuis in libertate naturali viuentes, quam quoad videntur ipſis vtilia? Ita *Carneades* vulgo rationes ſubduxiſſe fertur; ita forte noſtra ætate nonnulli rationes ſubducunt, adeoque, quidquid de pactis a nobis propoſitum eſt, ad priuatæ conditionis homines reſtringunt.

§. II.

Enim vero, quemadmodum ii, qui in libertate ætatem agunt, ratione præditi ſunt, & ratio autem pacem quærendam omni modo dictitat; ita non video, quo obtentu, ab vinculo, quo ipſimet ſeſe obligarunt, immunes eſſe velint, poſteaquam ſe obligarunt, hoc eſt, de ſua libertate aliquid adimentes in alterum tranſtulerunt.

§. III.

Id fateor, non eſſe in his terris ſuperiorem, qui ad ſeruandam fidem paſcentes compellat. Sed viuit tamen DEVS, qui, quod per rationem priuatis hominibus reuelauit, reuelat quoque libertate fruentibus, & in

in naturæ ſtatu exiſtentibus. Exempla in contrarium allata non probant, quid fieri debeat, ſed quid fiat.

Confer, quæ diſſerit *Petrus Balius* in Dictionario Critico, ſub voce *Ageſilaus*.

§. IV.

Vt vero vniuerſis & ſingulis DEVS cenſetur iraſci, qui, quod ſapienter dictat, non exſequuntur; ita DEVM ſine dubio iratum habebunt, qui ſic a ratione recedunt, etſi nullo humani imperii vinculo conſtringuntur.

§. V.

Ergo & his applicanda erunt, quæ de pactorum natura in genere adfirmauimus.

§. VI.

Et adfirmauimus autem, promiſſa plena, abſoluta atque acceptata naturaliter ius transferre, etiam, *ſi quid* SINE CAVSSA *promiſſum*. Qui negant, reges & gentes his teneri, neſciunt ſane, quid loquantur. Ipſi Principes nunquam fere & nusquam omnem adeo pudorem deponunt, vti interdum, eruditi; obſeruandumque hoc loco, cauſſam promittendi non ſemper deeſſe, ſed occultari haud raro; nec, ſi deeſſet, haberet promittens, quod occineret exigenti.

Confer. *Grot.* lib. II. cap. XIV. §. 4.

§. VII.

Duntaxat quæritur, an *ſeria* & *plena* ſit promiſſio, nec *acceptatio* itidem plena deficiat? Neque enim CAROLVS V. vere promiſit

miſit FRANCISCO I. Galliarum Regi Mediolanenſem Ducatum roganti, quando eodem ſeſe deſiderio teneri reſpondit Legato, qui ipſius Rex ac Dominus. Traditur hoc ab *Vlloa* aliisque, vitæ Carolinæ ſcriptoribus. Nec ignotum, FERDINANDVM *Catholicum* negaſſe, CAROLO VIII. fuiſſe promiſſum, Regem Neapolitanum a ſe iri deſertum. Subſtitiſſe rem in meris deliberationibus, nec ad colophonem eas fuiſſe vnquam perductas: tractatus autem pacti, ſeu fœderis obligantis naturam nondum habere. (*Marian.* Lib. XXVI. c. 7.) Similia Galli obuertere Hiſpanis, cum Weſtphalicas pacis tabulas, a *Seruieno* demum ſubſcribendas, rumperent; cauſati, imperfectum cenſeri, cui aliquid deſit: vt omittam, quæ de *verbis honoris* late diſputantur a *Thomaſio* in diſſertat. *de obligatione ex promiſſione rei incertæ* §. 25. ſeq; *Achabi* reſponſum *Benhadado* datum preſſius examinante, variaque de promiſſione *generali* themata & ratiocinia afferente. Simile promiſſionis vagæ exemplum occurrit apud *Suritam* & Patrem *Danielem* in *hiſtoria Caroli* VIII. p. m. 1643. qua ſe obſtrictum negabat *Ferdinandus Arragonius* in tranſcurſu *Clercierio* de partiendo Neapolitano regno nonnulla inſinuans.

§. VIII.

De ACCEPTATIONE nemo eſt, qui dubitet, quin illa in pactis Rerum-publicarum

ac Principum primario ſit conſideranda, ceu in promiſſionibus hominum ſingularium. Ex quo deducitur, POLLICITATIONEM veluti promiſſionem imperfectam in ſtatu libertatis firmæ obligationis vinculo deſtitui : quidquid hic *Grotius* de obligatione *pollicitantis* interna in contrarium moliatur *Lib.* II. *Cap.* XI. §. 3. Quamdiu enim non inuenitur, qui acceptet, non comprehendo, quomodo quis obſtringatur ad eandem ſemper ſententiam retinendam. Conſtantia, quæ flagitatur, neſcio, quid ſapiat Stoici : quod Franci Hiſpanis exprobrabant, multum de ipſorum inſtabilitate loquentibus, cum bellum continuandum cenſerent, & pacis fœdus Monaſterii cœptum reſpuerent. Sicuti enim priuati in œconomicis rebus ſæpius mutant animum; ita Principes ac populi in adminiſtrandam cum iudicio rempublicam incumbentes prioribus ſeſe cogitationibus alligari vix patiuntur; atque tam diu facultatem mutandi animum retinent, quamdiu nemo ius delatum, conſpirante in idem placitum conſenſu, acquiſiuit.

§. IX.

Eadem VOTORVM, vtut licitorum ratio eſt, quæ hiſce in terris nemo acceptat. Apud *Judæos* ſummus ſacerdos inueniebatur, qui, quod Deo gratum acceptumque ſignificabat, ac ſignificare poterat. Quæ vero a ſummo Numine præcepta, aut *ſerio* commen-

mendata, ſine VOTO ſunt obſervanda: vt taceam, ambigi adhuc, an Maieſtas diuina ferat, vt ſecum aliquis mortalium paciſcatur: de quo diſpiciant, qui poſſunt, & cauſſas habent diſpiciendi. Si qui Principes vota ſoluerunt Deo, quid? quod ſanctis nuncupata, ceu PHILIPPVS II. templum Laurentio ſacrum in Hiſpania exſtruxit, quia fanum eiusdem in obſidione S. Quintini ſubruit, eorum tribuendum *religioni* eſt, cui hac parte melius obſecundant, quam CAESAR, qui Joui Capitolino æs ſubiecit clanculum pro auro, cauillatus, Jouem non tam indigere rutilante metallo, quam ſeſe, qui ære alieno aliisque neceſſitatibus valide foret preſſus: quo mentem profanam perſpicue detexiſſe creditur. Sed conſtat de cetero, neceſſaria *raro*, quæ fieri nequeunt, *fruſtra*, quæ poſſunt, plerumque *inutiliter*, aut *temere* voueri: vouentesque interea ignorare, placeant ne Deo votis promiſſa? aut vane ſæpius cogitare eosdem, placere iſta, quæ maximam partem ſunt inepta, ſuperuacua, temeraria, immo quandoque *ſceleſta*. Quorum inanitatem ſi quis reſciſcat, merito ab eorum implemento abſtinet, eique perperam vitio vertitur, quod voto non ſtet. Saltem eam in rem nullius indulgentia ac remiſſione indiget, ſed ſine crimine ab huiusmodi vinculo ſe ipſum liberat. Quali cognitione ſi polluiſſet CASIMIRVS, Poloniæ Dux, mo-

naſticæ

naſticæ vitæ ſimul-atque caſtitatis voto repudium mittens, non ſane habuiſſet Romanus ſacerdos, nec quisquam alius, quod ipſi exprobraſſet. At enim intererat quoque Pontificis, ne votorum firmitas labaſceret, ut qui iterum votis exſoluere Reges poteſt; idque is ſine inſigni emolumento vix præſtat. Ac conſtat ſane, ipſum RVDOLPHVM Habſpurgicum Romaniam & Boloniam in ius Papæ tranſcripſiſſe, ne expeditionem bellicam in terram ſanctam ſuſcipere cogeretur, cui rei perficiendæ is ſeſe *voto* obſtrinxerat ſolenni, a quo eum penitus immunem pronunciabat NICOLAVS IV. Pontifex.

§. X.

Quæ porro de *acceptione* inter gentes occurrunt ſpecies dubiæ, non tam ad quæſtiones iuris, quam facti pertinent, nempe, an ſit reuera acceptatum? E quarum numero vix putem eximendum intricatum thema, quomodo quis *acceptandi* libertatem alteri detulerit: VTRVM, *volo obligari, ſi acceptauerit*, AN, *ſi acceptatum intellexero*? Et patet, quæri, quid ſit in dubio ſtatuendum? *Thomaſius*, Vir clariſſimus, in *not.* ad Huberum *de iure ciuitatis L. II. ſect. VI. c. III.* §. 9. reciprocum ius dat promittenti & acceptanti, exiſtimans, promiſſionem non conualeſcere, niſi acceptans illam cognoſcat; igitur & promittentem omnino debere recognoſcere, acceptationem ſimiliter eſſe factam:

tam:

tam : de quo quamdiu non conſtaret, ius eſſe promittenti mutandi animum. *Barbeyracius* contra in notis ad *Grotium* 412. opinatur, promittentem ſimpliciter ius acceptandi obtuliſſe, adeoque nec mutationi locum fore, ſed exſpectandum potius, donec reapſe approbet, qui cum ei res eſt. In quo certe abludere a via videtur. Eſt enim facti, quid ſenſerit promittens, & an ſeueram hanc ſibi legem dixerit? Nulla hic iuris quæſtio occurrit, quæ abſolute poſſit decidi; atque ex conſequenti petitio principii eſt, an variare promittens nequeat? Neque enim irreuocabile ius transfertur prius, quam facta, transacta ſunt omnia. Sed nondum acceptauit alter : adhuc aliquid perficiendum reſtat igitur. Ab imperfecto pacto licet deſciſcere. Quod inprimis vrgebat ſæpe nominatus FERDINANDVS ARRAGONIVS, cum non ſtaret promiſſis, interuentu PHILIPPI AVSTRIACI, generis ſui, de cedendo regno Neapolitano LVDOVICO XII. Galliarum Regi ſignificatis. Cauſabatur enim, nondum innotuiſſe ſibi, an acceptaſſet delatas conditiones Rex Gallus? mutatamque interea ſcenam, poſtquam Nemorenſem Gallici exercitus præfectum bis acie vicit GONSALVVS Dux magnus. Reſciuerit ne vero FERDINANDVS, quid factum & acceptatum, quid non? aliud eſt ζήτημα.

§. XI.

§. XI.

Sicuti vero ſuperuacaneum foret, de iis copioſius hoc loco diſſerere, quos natura prohibet paciſci; ita diſpiciendum vtique, an exceptio minoris ætatis liberas inter perſonas locum inueniat? Obduxit eam EDVARDVS III. Angliæ Rex PHILIPPO VALESIO, quum iuri ſuo renunciaſſe argueretur ipſo facto, inueſtituram accipiens a *Valeſio.* Sed bene a *Grotio* obſeruatum, iudicii maturitatem ſpectari, talemque ſtatum, in quo intelligunt, quid actum, non autem annos abſciſſe, quos humana iura definiunt. Si quod ætatis momentum ex more regni definitum, quemadmodum in Gallia, Luſitania, Suecia! in quorum primis annus XIV. in altero XVIII. regnandi copia ſucceſſoribus eſt facta, illud ſane reſpiciendum a paciſcentibus erit. Germaniæ Principes lege ciuili viuunt, niſi priuilegium habeant.

§. XII.

Sed finge vero, legitimos adeſſe TVTORES, qui regnum, vel principatum adminiſtrent, tanto minor erit dubitatio, geſta, ſub obtentu ætatis nondum perfectæ, reuocari minime poſſe. Conſtat enim, inter omnes, vnicuique coetui, adeoque & ciuili firmiter ſe obligandi ius eſſe, tum per ſe, tum per alium, cuius geſta ſe probaturum vel *expreſſe*, vel tacite ſpondet.

§. XIII.

§. XIII.

Vnde abſurda concluſio eſt, pupillorum ac minorum beneficia REBVS PVBLICIS competere, ſi qua pactio in læſionem ſuam redundet. Quod principes Romani ciuitatibus & municipiis indulſere ius ſingulare, ex rationis principiis cogentibus fruſtra applicatis ad ciuitates ſumma poteſtate pollentes.

§. XIV.

De ERRORE grauior hac parte & difficilior diſceptatio videtur. Etſi enim verum eſt, errorem, quando confodit & adtingit conſenſum, nec noſtra intercurrit malitia, aut negligentia, actus reddere ipſo iure nullos; tamen cum ſit ſæpe obſcuriſſimum, an deuitari potuerit error, aliudque intenderit promittens, vel acceptans? atque hic probationes ferme deficiant, nec iuriſiurandi delatio, aut præſtatio, nec teſtium productio inter liberas gentes vſui eſſe queat, hinc regulæ, quas alioquin ſequimur, generales, nihil ferme in applicatione ad cauſſas dubias decidendas vtilitatis præſtabunt, quia litteræ *potiſſimum* & verba ſpectantur. Nota eſt diſputatio inter Suecos & Brandenburgicos de verbis inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ, *cum terris adiacentibus*, quæ Sueci ratione finium *Pomeraniæ* regundorum in ſuum emolumentum interpretabantur, Brandenburgicis aliter a ſe intellecta arguentibus, quam ferebat *Saluius* orator Suecicus. Etiam provocabatur

tur ad protocolla & primas tractantium tabulas; quin teſtimonia producebantur, vtut perperam, ceu *Puffendorfius* Lib. III. de R. G. *Friderici Wilhelmi* §. 42. ſeq. copioſe actitata recenſet. Nihil hic lucis adfundebant rationes vagæ, quis clarius debuerit loqui? parte vna in alteram obſcuritatis atque erroris culpam transferente.

v. *Grot.* de I. B. & P. Lib. II. c. 12. §. 12.

§. XV.

Quanquam vero DOLVS clarius in ſenſus incurrit; eſt tamen & ille facti, neque inter gentes præſumitur, ſed probandus omnino. Vnde rurſum generalia de dolo obſeruata parum operabuntur; niſi notiſſimus ſit. Notiſſimus autem fiet, ſi fœderis & pactorum tabulis non reſpondeant præſtita, ac data; indeque malitia pelluceat, præceſſerit, an interuenerit, erroremque a parte læſi efficacem genuerit. Cumque fraudis infinitæ obſeruentur ſpecies atque exempla, hinc iis adducendis merito ſuperſedemus.

§. XVI.

De METV ambigue quidem nonnulli reſpondent, in hoc tamen θεωρικῶς ad vnum fere conſentiunt omnes, firma eſſe pacis fœdera, etſi ad illa ineunda metu quis ſit compulſus. Neque enim hic metus INIVSTVS occurrit, vtpote in quem reciproco conſenſu certantes conſpirant; hinc *metus* adhibitus iniuſtus nequit eſſe. Quare mirandum vtique,

FRAN-

Franciscvm I. de metu ſibi iniecto tot inania eieciſſe verba, cum a *Madritiano* pacto reſiliret. Nemo enim facile ſine *coactione* ſatisfacit aduerſario: vt alia taceam.

§. XVII.

Sed fac, *Principem* non hoſtem alteri neceſſitatem iniicere, tum aliud erit dicendum; recteque *Petrus Bælius* redarguit quosdam ſcriptores Gallos, Francisci inſignem probitatem iactanter extollentes, quod is Carolvm V. breuiori itinere per Galliam Gandauum contendentem non detinuiſſet captiuum. Neque enim id potuit ſalua iuſtitia atque honeſtate facere; ac, ſi feciſſet, metus hic certe promiſſiones a Carolo initas ipſo iure ſufflaminaſſet: nec, ob coniunctum dolum, ſtabiles iſtæ vllo momento manſiſſent. Quod & fortiſſimus *Hunniades* reſpondit Bosniæ Deſpotæ nefarie magnam pecuniæ ſummam ab eo, poſt Varnenſem cladem, eius regionem tranſeunte, extorquenti, ceu refert *Bonfinius* cum *Thurozio* ſcriptore Hungaro. Nec perfidiæ accuſatur recte eiusdem *Hunniadis* filius *Mathias*, Georgio *Bohemo* ſolutionem L. aureorum millium ſine circumitione negans. Iniuſte namque in carcere *Podiebradius* id auri pondus a *Coruino* ſtipulatus eſt, cum inter ancipitia verſaretur, & ad regnum Hungariæ vocatus timeret, ne, ſi non promitteret, detineretur diutius ac ſpe adipiſcendæ regiæ dignitatis excideret. Meren-

rentur inſpici litteræ horum Regum, quas CZECHORODIVS in *Marte Morauico* publici iuris fecit: in quibus argumenta videas expoſita vtrinque.

§. XVIII.

Ac multo minus *Domino* vitio vertendum, ſi quod SVBIECTIS per vim metumque promiſit, ſervare renuat. Neque enim illorum eſt, poſcere ſuperbe, minitando, ac terrefaciendo, ſed ſupplicare. De MARIA Scotorum Regina eam in rem diſſerui in diſſertatione: *de efficientia metus* cap. II. §. 33. addendumque hoc loco ciuium *Brugenſium* audax facinus MAXIMILIANO I. omnia mala oſtentantium, de quo Auſtriaci & Burgundici ſcriptores late: indubiumque habendum, irrita vniverſa fuiſſe, quæ Rex Romanorum perduellibus promiſerat.

§. XIX.

Neque enim contra ius naturæ & fidem bonam induci obligatio poteſt. Quod pariter fieret, ſi quæ TVRPITER pollicitæ ſunt gentes, inuiolabili ratione forent obſeruanda. Vnde noua exceptio ſic paciſcentibus ſuppeditatur *de turpi cauſſa*. Finge igitur fœdus initum de præſtandis contra quoslibet auxiliis; ac claret, non obligari promittentem, ut iis opprimatur innocens, aut contra Dominum ſuum ac Cæſarem copiæ ſubmiſſæ in aciem educantur. Potius hic ſemper excipitur in vetuſtis monumentis, aut exceptus creditur.

§. XX.

§. XX.

Tvrpe vero hoc loco appellatur, quod legibus non ſolum diuinis, ſed & mori bono pactisque contrarium eſt. Ita Rex lege *fundamentali* adſtrictus, aut regnum adminiſtrans uſufructuario iure, ſine ordinum conſenſu nihil valide ſpondet, quod eſt magni momenti; multo minus firmiter alienat. Quod argumentum ſolidius fuit, iudicante *J. Bodino* lib. V. de Rep. p. 931. cum Franciscvs I. Madritiano fœderi repudium mittere cogitaret, quam quod a metu deſumebat Selva Pariſienſis Senatus Præſes, *Zabarellæ* Cardinalis futilibus rationibus innixus. Exiſtimabant namque Burgundi cum Galliæ proceribus, non potuiſſe ſine populi conſenſione Burgundiam cum Belgii inſigni portione in Carolvm Avstrvm tranſcribi. Sicut & Brabantini negabant, Belgii prouincias a Philippo II. ſine ſuo conſenſu præſcituque iure fuiſſe in *Albertum* Cardinalem & *Iſabellam Claram Eugeniam* translatas. Quod *Grotius* additis eorum argumentis, belle recenſet, *Hiſtoriarum Lib. VII. p.* 324.

§. XXI.

Eadem in domaniis, ſeu rebus fisci ratio eſt. Illæ enim non *regentibus* tantum *dominis* ad dignitatem & ſtatum ſuum conſeruandum; verum etiam eorum *ſucceſſoribus* deſtinatæ ſunt, eoque alienari ex regula minime poſſunt. At facti ſæpius quæſtio ori-

tur, an hoc iſtudue prædium fuerit fiſci? an principes Germaniæ habeant domania?

§. XXII.

Nec minus claret, etiam PROCERES ac POPVLVM vniuerſum iniuſſu PRINCIPIS, ſine quo populus omni auctoritate deſtituitur, *vane* promittere. Ita Luſitaniæ Rex apud *Marianam* de *rebus Hiſpanicis* Lib. XXI. cap. XII. quæ Legati eius iniuſſu ſuo de relinquenda Africa polliciti erant, reſcidit atque irrita pronunciauit: ſicuti & in inſtrumento Monaſterienſi *art.* VIII. legimus ſtatutum, vt vniuerſa & ſingula promiſſa, contra pacis tabulas inita, nullius momenti & vigoris exiſtimarentur. Neque enim membro reipublicæ contraire publicis legibus queunt: fuitque hoc SOCIETATI Batauorum ORIENTALIS INDIÆ, quæ alioquin maxime potens eſt, iniunctum, ne a ſalute Belgii fœderati vnquam ſeſe abalienaret; ſed omnes potius contractus & acta ſua publicæ rei conuenienter accommodaret.

§. XXIII.

Ac quemadmodum inter priuatos res *aliena* inaniter promittitur; atque de ea ſine illius *mandato*, quem res tangit, aut ratihabitione fruſtra decernitur; ita genti in rem alterius gentis nihil facultatis, aut iuris competit. Quod argumenti *Hiſpani* potiſſimum in medium poſuere, cum Angli, Franci & Bataui de Monarchia Hiſpaniæ diſcerpenda

fœ-

fœdus icerent. Paria princeps Elector Brandenburgicus *Fridericus Wilhelmus* imperii proceribus atque ipſi Cæſari occinuit, Pomeraniam ex PLENITVDINE poteſtatis adimere illi volentibus. (vid. *Puffendorfius* de *R. G. Frederici Wilhelmi* Lib. II. §. 58. ſ.) Vnde de poteſtatis Cæſareæ totiusque imperii plenitudine acris diſceptatio. Nec dubitandum, quin, quæ *Hugo* Italiæ Rex de regno Burgundiæ trans Iuram in *Rudolphum* II. Regem Ciſiuranum, origine Welphum, audaci ratione tranſcripſit, neglecto CAROLO CONSTANTINO, Ludouici *Boſonidis* filio, omni prorſus firmitudine fuerint deſtituta.

§. XXIV.

Exinde quoque colligi datur, quousque ſeſe RENVNTIATIONES Principum porrigant. Etſi namque iura ſua licita ratione cedunt; non habent tamen illi vel tantillum poteſtatis, vt liberis facto ſuo ſucceſſionem eripiant: ſiquidem illi iam in viuis exiſtunt. Aliud foret, ſi renuntiatio ſuſcepta, antequam vitæ huius lucem adſpexere poſtremo nati. Quo circa iterum pellucet, quid de renuntiatione Mariæ Thereſiæ Galliarum Reginæ ac PHILIPPI V. Hiſpaniarum Regis, in regnum Galliæ ac comparate Hiſpaniæ ſit iudicandum? memoratuque dignæ ſunt litteræ, quas ſub nomine *Filtz Moriz* circumlatas vidimus: in quibus acute diſputatur, an

ſucceſſio in regnum a Parentum arbitrio ulla ratione pendeat?

§. XXV.

Quod vero *magnæ Britanniæ Regina* nuper pro *Sabaudo* in tabulis pacis Vltraiectinæ partim ſpopondit, partim acceptauit, iſtud vel ob propriam Reginæ *vtilitatem*, vel *mandatum*, vel *ratihabitionem* Sabaudi, vel etiam *compromiſſum*, firmitatem videtur accepiſſe. Neque enim Principes prærogatiuo iure præ hominibus ſingularibus fruuntur, vt pro aliis acceptent polliceanturque pro lubidine, quantacunque etiam potentia emineant. Sunt eorum pactiones priuatorum promiſſis ſimiles.

§. XXVI.

Quibus ſicuti ſolide obligantur; ita temere REVOCARE easdem neutiquam queunt.

§. XXVII.

Tantum exponendum, aut obſeruandum, quid ſit *reuocare*? Neque enim reuocat, qui pactionem implere deſinit, quam alter violauit primus. Hoc expeditionis ſacræ Principes apud *Wilhelmum Tyrium* oppoſuerunt Cæſari Conſtantinopolitano *Ioanni*, conquerenti, vrbes imperio Orientis ſubtrahi, quas promiſiſſent ſibi fœderati.

§. XXVIII.

Non eſt item *reuocatio*, ſi ex poſt facto ſine culpa mea moraliter *impoſſibile* reddatur pactionis implementum, & me fortunisque meis

meis ſaluis, effectum dari nequeat. Sic nemo ab altero auxilia promiſſa iure expetet, qui ipſe rebus & militibus ſuis ad propriam defenſionem indiget. Qua excuſatione vſi ſunt *Hiſpani*, cum promiſſum militem vrgeret *Imperator* cum *Statibus* e tabulis CAROLI V. ratione Belgicarum prouinciarum itemque Burgundiæ. Nec deſunt hac in re aliorum Principum ac Regum exempla.

§. XXIX.

Multo minus perfidiæ crimen adtribui illis poterit, qui extrema exſpectantes ſeſe tandem dedunt, aut a fœdere reſiliunt. Ineſt enim omnibus eiusmodi pactionibus tacita conditio, ſi id ſine malo extremo meo fieri queat. Sed prouidendum eſt, ne quis extrema ſe dicat exſpectaſſe, vbi vtiliores conditiones ſibi, quam alteri fœderato offeruntur. Quod contra Anglos & Batauos, qui a *συμμαχία* ſine cauſſa receſſerunt, tenendum eſt, quos defendere cum HVBERO *de iure ciuitatis* ſatagunt nonnulli a violati fœderis culpa.

§. XXX.

Falſum vero prorſus eſt, licere per leges, vt ne ſeruentur illis promiſſa, qui *fidem aliquando* tibi, vel aliis fefellerunt, aut etiam *hæreticis* & *infidelibus*, qui vel eandem nobiſcum religionem non profitentur, vel in Chriſtianæ religionis diuerſis capitibus diuerſas opiniones ſectantur.

§. XXXI.

Priori caſu recte arguit Hobbeſius, *cauſſam, quæ impedire non poterat, quin paciſceteris, non impedire, quin præſtes, niſi nouus metus appareat, vt in* piratis: quod iterum monemus atque iterum.

§. XXXII.

Poſteriori caſu non male *Thomæ Aquinatis* dictum vrgetur: *Ius diuinum, quod eſt ex gratia, non tollere ius humanum, quod eſt ex naturali ratione.* Tale autem ius etiam illud eſt, quod per pacta conventa acquiritur. Idcirco peccauit VLADISLAVS Rex Hungariæ, qui initæ pacis firmitatem cum Turcis, Pontificis Romani inſtinctu, ex hoc capite impugnavit. Peccant quotidie Pontificii: quamuis nonnulli & inprimis Cardinalis *Oſſatus* Lib. III. epiſt. 17. paralogiſmum agnouerint.

§. XXXIII.

Illud adhuc expediendum reſtat, quomodo RESTITVTIO IN INTEGRVM in ſtatu libertatis peragatur? Et putarunt nonnulli haud temere, non dari *reſtitutionem*, vbi ipſe actus ob deficientem conſenſum & ius acceptandi non competens, ſit *nullus*. Sed luditur reſtitutionis in integrum vocabulo. Eſt enim illa hoc in negotio nihil aliud, quam decepti, aut inique paciſcentis declaratio, ſe, ob euidentem *iniquitatem*, nolle amplius obſtringi, præcipue, ſi arbitri iniuſtum agnoſ-

gnoſcant pactum, aut is, qui decepiſſe arguitur, & arbitros & omnem iuſtitiæ rationem præfracte reſpúat. Quamuis tutius ſit, mouere omnem lapidem, ut ipſe, per quem læſio & dolus dicitur eueniſſe, pactionem agnoſcat nullam, vel arbitrorum iudicio declaret irritam: tametſi rariora occurrunt huius rei exempla. Plurima vero inueniuntur, vbi læſi ipſimet proprio iudicio a pactis receſſere, quæ publicis ſcriptis, ob dolos atque errores intercurrentes, oppugnauère, ceu inualida atque iniqua. Idque ex mero rationis, non autem Romano, aut ullo arbitrario iure deriuandum. Nam quæ Quiritibus innoteſcebat *reſtitutio in integrum*, ad noſtrum inſtitutum non pertinet, quemadmodum *c.* XI. §. 55. iam animaduerſum. Vtimur aliquando vocabulo eodemque ſermone; & res, quæ includitur illi, haud raro diſcrepat ab eo, quod cogitatur vulgo.

§. XXXIV.

Vt vero PACTVM in genere ratione *obligationis* VNVM eſt; ita etiam in ſtatu naturæ non apparet diuerſum. Quidquid hic differentiæ occurrit, e varia relatione eſt, & ad diuerſa nomina reducitur.

§. XXXV.

Ita FOEDVS vocatur conuentio ciuitatum non tranſitoria: vtut in effectu *pactum* eſt.

§. XXXVI.

Et id autem vel ad ea ſeſe porrigit, quæ

iure naturæ iam *debentur*, vel aliquid *adiicit*. Prius cum iis non abſurde initur, qui latrocinia gentium non habent pro iniuſtis: cum aliis non eſt, quod magnopere deſideretur.

§. XXXVII.

Alterum tum præſtationis ac *rerum*, tum *perſonarum* ratione, vel eſt *æquale*, vel *inæquale*.

§. XXXVIII.

Vtrumque vel *pacis* vel *ſocietatis*. Societas eſt vel *bellica*, vel *commerciorum*, in quibus quod legitime promiſſum & acceptatum, præſtandum videtur vtrinque.

§. XXXIX.

In personis vel *pares* occurrunt, vel *ſubiecti*, quibus cum pacta ſeu foedera celebrantur.

§. XL.

Quæ cum paribus ineuntur, vel *ciuitatis* nomine, vel *proprio* conualeſcunt.

§. XLI.

Priora ceteris paribus ad ſucceſſores tranſeunt, quia populi approbatione, quem repræſentant Principes, coaluere; eoque Rex nouus, etſi *electionis* iure ſuccedit, reſilire ab illis nequit. Sed ſunt vero variæ occaſiones viæque aliæ, diſſoluendi, quod placuit anteceſſori. Nec diu cogitandum miniſtris, cum animum inceſſit lubido, aut poſtulare videtur vtilitas, quomodo elaben-

di

di inueniant rimam, vt a promiſſi vinculo, interuentu alicuius gloſſæ, ſeſe liberent.

§. XLII.

POSTREMA non ſemper ſtringunt ſucceſſores, quia non populi, ſed nomine ſingulari ſunt coagmentata; videndumque tum, an quis *hæres* ſit defuncti, nec ne?

§. XLIII.

Quæ vero cum SVBDITIS tractant panguntque Imperantes, vel *iure* nituntur, vel *gratia*.

§. XLIV.

VTRAQVE ex ordine ſua non deſtituuntur firmitate. Neque enim in pactis & contractibus, ratione obligationis, inter eos & ſubiectos aliquid differentiæ ſtatui debet; certumque habendum, Principes, dum paciſcuntur & promittunt, leges ferre nolle; eoque obligatio reciproca naſcitur. Vbi obligatio, ibi ſtabilitas; quæ non, niſi vtriusque conſenſu, tolli poteſt.

§. XLV.

Quod aliquos Doctores in tranſuerſum egit, ex male intellecta notione *gratiæ* proceſſit, itemque *priuilegii*. Omne enim GRATIOSVM mutationi arbitrariæ cenſent obnoxium: quod peruerſum omnino eſt. Nam & gratuita libere quidem promittuntur, ſed poſtquam promiſſa, valide ſunt ſeruanda. PRIVILEGIA vero non ex omni latere *leges* ſunt: accedit ſæpe aliquid *pacti*: quod vtique

que ius dat acquirendi : inprimis ſi cum onere id genus *priuilegii* obtigit ciuibus. An vero, *publicam ob vtilitatem*, ſubrui iterum queant, ad controuerſiam vix pertinet: quemadmodum nec ad rem facit, quando *in poenam* priuilegia tolli poſſe clamitant. Quæritur, an temere fieri iſtud poſſit ac ſine cauſſa legitima, hoc eſt, rationi non conueniente, deſpotica?

§. XLVI.

Nec nocet, CLAVSVLAM ordinarie adiici, qua mutandi, imminuendi, ac tollendi facultatem ſibi reſeruant priuilegia indulgentes. Conſenſio namque, ſi ſit adiecta, tolli poſſe vniuerſa & ſingula. Sed quid, ſi non ſit adiecta? An latet omni in conceſſione gratuita intelligiturque? Et non putem. Dicis: more hanc fere ſententiam inualuiſſe. Aio, morem non raro videri morum; ac ratio vero, noſtra in diſciplina, primas tenet, non autem mos errori innixus ac facinoribus legi adverſantibus comprobatus.

§. XLVII.

Sicuti vero in talibus *priuilegiis* ad clauſulam iſtam; ita in omnibus Principum ac Rerum-publicarum pactionibus ad *modum* promittendi reſpicitur : de quo in capite antecedenti.

CAPVT XIII.

DE EFFECTV PACTORVM IN STATV CIVITATIS.

§. I.

PRomiſſa, quae ſunt ſeruanda, conſenſu conſtare, indubium eſt. Sed quid ſit CONSENTIRE, ciuitas amplius declarat.

§. II.

Neque enim vllus populus adeo inuenietur ferox, qui pactis & contractibus nullam ineſſe vim ſit dicturus. At determinant ſæpe Legiſlatores, quid ad conſenſum requiratur, ſi obligatio debeat conualeſcere, atque ex parte altera ius naſci. Quod nemini accidat peregrinum. Etiam apud Germanos non obſtringuntur feminæ curatore deſtitutæ; nec minor promittit cum effectu, etſi intelligit, quid, quale, quantumue polliceatur. Ex quo conſequitur, adiici aliquid ſimplici conſenſui; quid? quod ſæpe illum prorſus ſubrui, ne dolis aperiatur feneſtra, ac, qui ſimplicioris & lenioris ingenii ſunt, circumueniantur: aliquando vero ſuſtineri, quod imperfectum, immo certe nullum videtur. Exempla præſto ſunt in filiis familias mutuum contrahentibus, mulieribus fideiubentibus, ciuibus ludentibus, pollicitantibus, *cetera.*

§. III.

§. III.

Quibus omnibus ſicuti publica vtilitas prætexitur; ita arbitrium, quod non eſt vniforme, in ſingulis fere ciuitatibus variat, aſtutia interdum cum prudentia certante, ac vanitate & inſcitia cum ſuperſtitione intercurrente. Hinc *litteræ* ſæpe, hinc *idioma* certum, hinc ſtatæ verborum *formulæ*, hinc *charta* peculiaris ac ſignata, hinc *teſtes* & adſiſtentes, iique *certo numero*, hinc ſolennes *inſinuationes* & *confirmationes* Magiſtratuum; aliaque requiruntur.

§. IV.

Saltem *Turcæ* non niſi ſua ſe obligari lingua credunt: in quo vaniores ne ſint, an aſtutiores? dubitatur. Alienum nempe idioma ſe non ſatis intelligere dictitant. Nec ſcio, an Romani antiquiſſimi aliter rationes ſubduxerint, ſolam Latii linguam in ſtipulationibus admittentes?

§. V.

Eadem forte CALLIDITAS, aut ſubtilitas, quam Patriciis tribuunt annales, artificioſas verborum conceptiones & legis actiones inuexit: quid? quod differentiam inter actus bonæ fidei & ſtricti iuris: quorum adiuncta a naturali ſimplicitate longiſſime abeunt.

§. VI.

PRVDENTIA vero in quamplurimis litteras ob meliorem probationem popoſcit, ac Tutorum, Parentumq; liquidum conſenſum exe-

exegit; etiam iudicialia firmamenta, cauſſam debendi expreſſam, pluraque alia; de quibus dubium eſt, an ſcopum ſuum ſemper adtingant, qui τό κύριον habent in ciuitate. Neque enim ſolennia lites minuunt, ſed augent, quia haud raro ex facto diſputatur, an ſolennia ſint abſciſſe adhibita? vt ne dicam, facile aliquid a diligentiſſimis omitti, & ab acutiſſimis negligi; eoque commercia atque ciuilia negotia valde impediri.

§. VII.

SVPERSTITIO iurandorum frequentiam introduxit, ac *votis* vim addidit; maioremque *pactionibus matrimonialibus*, quam reliquis auctoritatem conciliauit.

§. VIII.

VTILITAS fiſci *pollicitationes* firmauit; quas in *anteceſſum* acceptaſſe ciuitas fingitur: quam iuris Romani philoſophiam pauci capiunt, ac repugnantia hac parte Quiritibus adfingunt. Eadem lucri ſpes *chartam ſignatam* ceu tributum excogitauit, *inſinuationes* ſubminiſtrauit, *confirmationes* auxit: vt multa Romanorum aliorumque populorum inuenta prætere am, in ſequentibus de iis forte dicturus luculentius.

§. IX.

INSCITIA conuentiones dolo ac metu initas aliquamdiu ſtabiles fecit: quæ per ſe videntur nullæ; totique fere de reſtitutionibus in integrum doctrinæ occaſionem dedit.

§. X.

§. X.

Ac ſicuti ciuitas verbum *conſentiendi*, ſic eadem *doli*, *metus*, *illiciti* ac turpis voces aliquando pragmatice explicat. Ita *Labeonis* DOLI mali definitio, quam in foro ſequimur, non omnem ſimulationem in contractibus e vita tollit, quando IS *machinatio dicitur eſſe ad decipiendum alterum & fallendum in conuentionibus adhibita.*

§. XI.

Per METVM autem non vani hominis timor intelligitur, ſed qui cadat in hominem conſtantem: quod fieri cenſetur, ſi mortis, ſi verberum, ſi ſeruitutis, ſi ſtupri, aut alterius denique mali præſentia paciſcentibus obiiciatur.

§. XII.

TVRPITVDO vero ſæpe ad ciuitatis morem reſtringitur; tum ratione *rerum*, tum ratione *actionum*. Sic *Romani* meretrici ius exigendi mercedem ob ſtuprum permiſere. Quod ſane indicio eſt, eos meretriciam vitam & lupanaria non repudiaſſe abſolute, aut pro re prorſus illicita habuiſſe, vti recte in *obſeruationibus ad ius Atticum*, exiſtimabat SALMASIVS. Multa quippe in ciuitate tolerantur, quæ rigidum morum examen non ſuſtinent. Vnde rurſum pellucet, quam abſone SALMASIO contradixerint hoc loco aduerſarii, Philoſophorum ſcita ei obiicientes.

tes. Loquitur namque is de ciuitatis Romanæ more, & indulgentia.

§. XIII.

Iidem ROMANI in pari turpitudinis cauſſa ius poſſidentis melius cenſuere: quod fidei ſubleſtæ principium Cl. *Titius* appellat. Cuius rei argumentum quamuis in noſtris quoque foris repetant, & propriæ turpitudinis allegationem reſtitutioni faciendæ refragari adiiciant, vel denique turpiter acceptum datumque fiſco mancipent, non ſic tamen iſti rationes rite ſubducunt. *Nam primo caſu*, inquit laudatus Titius, *vtique valde iniquum eſt, quod accipiens ex ſua improbitate lucrum conſequatur, ſecundo vero incongruum eſt, quod ſolus dans, non etiam accipiens puniatur. Vtroque caſu illud parum æquum cenſeri debet, quod dans ſæpe grauiori pœna coerceatur, quam meritus erat.* Addo ego, propriæ turpitudinis allegationem apud Romanos aliquam forte ſpeciem opinioni inueteratæ conciliaſſe, vt qui in foro publico pro Prætoris tribunali diſceptabant; nec per propriam confeſſionem populo ridendi copiam exhibere volebant: neutiquam vero apud nos aliquid eſſe effecturam, quandoquidem in iudiciis noſtris ſecretis propriæ turpitudinis allegationes obſeruantur fere innumeræ; nec tamen acta propterea cenſentur rata. *Barbeyracius* nouum argumentum excogitauit, quare turpiter ſic promiſſa & data infirma ſint habenda. Neque

que enim libidinis oeſtro percitos conſulto animo, inquit, promittere, ſed furioſis videri ſimiles, aut mente captis. Quæ ratio ſicuti longius eſt petita; ita illa prorſus non indigemus, ſed eorum potius opinationibus adſociamus, qui libidinoſos, dum cupiditatibus ſuis indulgent, nihil percipere voluptatis dictitant. Vix enim perſuadebitur acutioribus, dolorem illos confundere cum iucundo. Id verum hac in ſententia, bona ſua ſic profundentes non ab omni parte bene perpendere, quæ ſibi in futurum vere ſunt vtilia, quæue honeſta. Sed intelligunt tamen iidem, quid faciant in præſenti, cuius amores ſectentur, quid dent, cui, quare? nec ambigo, quin eius rei luculentam concinnare hiſtoriam poſſent.

§. XIV.

De REBVS & FACTIS ALIENIS alia non occurrunt in ſtatu imperii, quam quæ *Cap. XI. §. LI. & LII.* ſunt adducta.

§. XV.

An vero quod TERTIO promitti curaui, IS acceptare ſine noua ſtipulatione poſſit? apud Romanos quærebatur; qui vno actu ſolennia contractuum, non autem carptim, & per interſtitia abſoluenda decreuere. In diſciplina rationis nemo repetitionem totius promiſſionis neceſſariam putabit vnquam.

§. XVI.

Circa FACTA PROPRIA ac nuda, eorumque

que præſtationes plerique Doctores in veterum Juriſconſultorum ſenſum vix penetrant. Neque enim verum eſt, libertatem relinqui promittenti, facere ne, quod promiſit, an liberare ſeſe a *facto* promiſſo velit? præſtando, quod intereſt. Pendet id ab arbitrio accipientis, non promittentis; eoque experiri omnia iudex poterit, vt contumaciam perfidi hominis frangat. Quod ſi fieri nequeat, tempus erit demum, confugere ad id, quod intereſt.

§. XVII.

Sunt enim vel implenda promiſſa, vel adducendæ cauſſæ cogentes, quamobrem impleri nequeant, aut ab obligationis vinculo aliquis cupiat exſolui

§. XVIII.

De Prætoriis in integrum reſtitutionibus earumque fundamento ad ff. plenius diſſerui: quæ neque cenſeo repetenda, neque hoc loco, quæ in illis multa *artificialia* occurrunt, reputo neceſſaria.

§. XIX.

Quæ in Renvntiationibvs ſæpe adhibentur ſolennia, rurſum ad arbitraria pertinent, neque hac in diſciplina vberius exponi debent: fundamentum *interpretationis* vero ex facto atque propoſito agentium deſumendum eſt: nihilque nunc præcipiendum amplius.

CAPVT XIV.

DE NON LÆDENDIS ET TVRBANDIS ALIIS PER SERMONEM IN GENERE.

§. I.

HActenus primariæ, quæ ex principio primo noſtræ diſciplinæ fluunt, regulæ expoſitæ ſunt, ne pax externa ante pactum lædatur, ne quis etiam poſt pactum turbetur. Nunc de SERMONE omnium læſionum communi veluti inſtrumento agendum. Eo immodeſti ſumus, ſumus etiam iniuſti, cui accedit, quod ordinarie pacta ſermone perficiantur.

§. II.

At fateor, multa a naturalis iuris Doctoribus hic inſpergi, quæ videntur ἀλλότρια. Quam enim varia de origine ſermonis tradant, quam inaniter de conſenſu in ſermonem differant, quam temere e natura ſermonis difficiles decidere quæſtiones ſatagant, nemo eſt, qui ignoret.

§. III.

Nos breuiter SERMONEM ita dirigendum pronuntiamus, *ne eo vel lædantur alii, vel decipiantur; atque ſic pax externa rumpatur.*

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Quod axioma per ſe clarum eſt, quantumuis ignoretur, quomodo ſermo ſit ortus, aut ex vna lingua, eaque connata ceteræ permanauerint omnes.

§. V.

Vnde, quæ *Puffendorfius* aliique hoc loco diſſerunt, conſulto omittimus: etſi in hoc falſi ſunt plerique, quod peculiarem de vocabulis eodem ſignificatu adhibendis conuentionem ſomniant.

§. VI.

Id verum eſt, eum, qui ſermocinari vult, velle ordinarie, vt intelligatur: alias enim conſultius foret, ut ne loqueretur. SERMONEM autem nemo ſanæ mentis cum ſono, boatu, mugitu confundet. Vnde definitionem omittimus.

§. VII.

Qui intelligi ab aliis cupit, *ſigna* ſeligit.

§. VIII.

SIGNA ordinaria verba ſunt, quæ aliis quoque eſſe debent nota.

§. IX.

Vnde conſequitur, vt in familiari vitæ vſu eadem, quam alii ſectantur, connexio ſit tenenda. Quid enim *doctis*, atque *artificibus* inter ſe liceat, iam non quæritur.

§. X.

At inde tamen neutiquam elicitur, vt, quæ intra præcordia ſedet, ſententia ſemper

ſit enuntianda. Sæpe namque uſu venit, vt vel nobismet ipſis, vel aliis noxium ſit, effutire, quæ animo ſeruamus recondita. Quare nouum obligationis fundamentum de dicenda veritate circumſpiciendum eſt.

§. XI.

Et nimium vero euagari videntur, qui cum *S. Auguſtino* vnicuique indiſtincte ius eſſe intelligendi & diiudicandi veritatem adfirmant. Vtut enim hanc rationem cateruatim ſequuntur auctores; non eſt tamen eius connexio ita clara, vt illam adoptare liceat tuto.

§. XII.

Etſi vero *Placettus* Gallus tacitum cum eo, cui loquimur, pactum iniri exiſtimat, nos dicturos veritatem; timeo tamen, ne eiusmodi pactum rationabili coniectura elici atque clarum reddi nequeat. Id præſumitur, locuturos nos ratione intelligibili.

§. XIII.

Vlricus Huberus equidem ad ordinationem diuinam prouocat, &, quoad intelligi poteſt, veritatis enuntiationem ſanctiſſimum inſtitutum vocat: in quo vix decipitur; tametſi non probat, *veritatem*, hoc eſt, *quid cogitem* cognoſcamque, ſemper eſſe aperiendum.

§. XIV.

Ergo magis eſt, vt dicamus, DEI inſtitutum eſſe, vt ne noceamus nobis aliisque ſer-

ſermone noſtro, ſed potius proſimus, qui veritatem percipiendi ius clare queunt oſtendere.

§. XV.

Sed *ius* vero habent mortales omnes, & comparate *obligationem* connatam, ne quis calumniis proſcindatur & proſcindat, turpiterq; prodatur & prodat, aut mendaci ſermone damnum faciat noceatque, aut nefario ſilentio innocentes, vel quibus deuinctus eſt, peſſumdet, aut peſſumdetur ipſemet.

§. XVI.

Multo minus fas erit, IVS alteri permittere & promittere, *quæſitumque* fallaciter euertere. Potius ſincere agat, qui promittit, fideliterque exequatur, quod affirmat vel negat.

§. XVII.

Qui ſecus facit, pacem non quærit, ſed eam perſpicue conuellit.

§. XVIII.

Quare *prima* regula eſt: LOQVERE, cum innocenti imminet periculum, verum, aut etiam falſum.

§. XIX.

FALSILOQVIVM non eſt mendacium, quippe quod ſemper cum detrimento proximi inſontis coniunctum eſt.

§. XX.

Quis autem ægrotis, infantibus, iratis, garrulis, doloſis verum ſemper retegendum

cenſebit? Non iis ius eſt, quia nec læduntur, nec turbantur: non etiam obligatio in altero, quia vel ſibi ipſi alioquin, vel aliis noceret.

§. XXI.

LOQVERE porro verum, quando vel expreſſe, vel tacite promittis, te dicturum; & ſile denique, cum ſilentium promiſiſti, vel iſtud bene merentibus, innoxiisque prodeſt, aut, niſi liceat ſilere, *finge falſum.*

XXII.

Vnde concluditur, FALSILOQVIVM aliquando eſſe *præceptum*, aliquando *licitum*; ac ſilentium interdum iuberi, interdum *prohiberi*, interdum *indifferens* eſſe.

§. XXIII.

Quod de verbis dictum, ad geſtus & facta, quibus animi noſtri ſenſa aliquando patent, non immerito accommodatur. Hinc *ſimulatio* & *diſſimulatio* modo præcepta, modo prohibita, modo licita erit.

§. XXIV.

SIMVLARE autem ſignificat facto poſitiuo, DISSIMVLARE facto omiſſionis aliud præ ſe ferre, quam cogitatur. Prius fictioni, ſeu falſiloquio, aut etiam mendacio ſimile eſt, poſterius reticentiæ veri licitæ, aut ſilentio prohibito.

§. XXV.

Ex quo claret, quid de differentia *doli boni malique* præceperint veteres, quæ diſtinctio e *porticu* in ſcholas Iurisconſultorum irrepſit.

§. XXVI.

§. XXVI.

Ceterum *parabolæ*, *locutiones tropicæ termini* metaphyſici, *fabulæ*, *ioci* neque falſiloquium erunt, neque mendacium, quia non aſſerunt *falſum*, aut ordinarie *nocent*; ſed vel figuratis, vel noue atque ingenioſe excogitatis, verbis verum ſæpiſſime tradunt.

§. XXVII.

Æquiuocationes autem & reſeruationes, vt aiunt, mentales, non omnes erunt illicitæ, quia datur falſiloquium præceptum & licitum, & *reticentia* præcepta & licita.

§. XXVIII.

Qui contra eunt, falſiloquium pro mendacio (*) habent; ac deinde, quia opinio non cohæret, nec verum ſemper dici poſſe animaduertunt, verborum & locutionum multarum interpretationes excogitant, vt, qui quid affirmat, id ipſum negare, qui negat, affirmare videatur.

* Hinc omnes, quæ inter diſſentientes vigent, tragoediæ & diſputationes vanæ. *Auguſtinus* Priſcillianiſtarum occaſione, periuriis & mendaciis operam dantium, diſputandi feruore in libro de *Mendacio* aduerſus *Conſentium* longius, quam par erat, eſt abreptus. Sæpe enim res fert, vt nequeamus ex mente alterius reſpondere, nec ſine circumitione enunciare verum, niſi quidem nos ipſos alioſque velimus in perniciem præcipitare. Atque hæc ratio eſt, quare *fingendum* nonnunquam, aut *æquiuocationibus* vtendum: quibus Jeſuitæ abuſum indulgent ſane nimium: quorum doctrinis excitatus LVDOVICVS MONTALTIVS in

epiſt. prouincialibus epiſt. IX. ſummæ eos merito impietatis coarguit. Sed ſunt tamen nec iſti ab omni labe immunes, qui propter *voces* aliis inſultant, iisque, qui *falſiloquium* admittunt, adfingere non erubeſcunt, eos Diis hominibusque inuiſa probare mendacia: ipſi mendaces & ſimul ſtolidi, dum ſe meliores ceteris exiſtimant, qui cum ipſis in re conſentiunt plane. Vnde ſemper laudaui reuerendum Theologum *J. F. Buddeum*, qui in *Theologia morali* p. 746. ſeq. hac de re ſincere eſt philoſophatus, eiusque prouidenti hac parte ſermoni prorſus ſubſcribo: addens, ineptos merito exiſtimari, qui falſum ſe non loqui credunt, dum pecuniam a ſe mutuam petenti reſpondent, NON HABLO, ſcilicet non pro petente, ſed pro ſe aliisque: quorum nænias acute detexit GROTIVS de *I. B. & P. Lib. III. cap. I. §. 17. n. 3.* ſeq. opinatus, rectius facturos, & ſapientius, ſi *falſiloquium* in aliquibus caſibus tolerarent, quam ſi a ſenſu communi abhorrentes interpretationes excogitarent, tantum ne falſum pronunciaſſe dicantur, quod illi pro mendacio venditant abſurdiſſime, omnibus definitionibus poſthabitis.

§. XXIX.

Id indubium, omne *mendacium* eſſe quidem *falſiloquium*, non autem *contra.*

§. XXX.

Nam quanquam is, qui mentitur, falſum dicit; tamen aliquid amplius perpetrat, ob quod pacem turbare dicitur externam.

§. XXXI.

Vnde haud temere ſupra obſeruatum eſt, MENDACII naturam non in diſcrepantia ſermonis cum cogitatis; ſed in eo potius conſiſte-

ſiſtere, quod ſermone noſtro lædatur ius proximi connatum, vel acquiſitum.

§. XXXII.

Quo admiſſo non erit iam neceſſarium, antiquam & centies coctam apponere *Auguſtini* diſtinctionem, qua mendacium vel *iocoſum*, vel *officioſum*, vel *perniciosſum* dicitur.

§. XXXIII.

Neque enim ſermo falſus quicunque, inprimis ſi non ſit nociuus, mendacium eſt: vtut qui ſine graui cauſſa fabuloſa, atque a veritate aliena eructat, VANVS merito appellatur, & imprudens aut etiam pro re nata INIVSTVS. Nam qui ludificare alios fictis ſermonibus cogitat, eos contemnit, &, quantum in ſe eſt, illorum famam ludibrio exponit.

§. XXXIV.

Quæ in contrarium adferuntur, perparum, immo nihil rationis continent. Nam, quando *Zieglerus* multique cum eo vrgent, DEVM non loqui falſum, quem homines vsquequaque imitari debeant, aerem profecto verberant. Quis enim a ſupremo Numine ad homines ſine diſtinctione argumentum ducet? DEVS non ambulat per prata, per forum, non emit, non vendit, non locat, non conducit, ergo etiam homines neutrum faciant? Commiſeratione eius generis argumentationes dignæ ſunt, quas per ambages

bages confutat ipſe *Huberus*. Id addendum, Deo nihil impendere periculi; cum viciſſim homines in eam ſæpe neceſſitatem ab inimicis coniiciantur, ut ſalutis conſeruandæ medium ſit, reiicere veritatem & dicere falſum. Pulchra ſunt, quæ hanc in rem leguntur apud NOODTIVM *de forma emendandi doli mali*.

§. XXXV.

Etiam nullius roboris *Danielis Whitby*, Britanni, in *Ethica Chriſtiana* exceptio videtur, non licere propter vtilitatem tum noſtram, tum alienam PECCARE. Probet enim prius, falſum loqui ſemper eſſe *peccare*, quod nunquam fiet; niſi quidem petitionem principii pro probatione accipias, quando omne *falſiloquium* appellitat *mendacium*.

§. XXXVI.

Ex quo conficitur, totam hac de re litem in λογομαχίαν tandem deſinere, quod laudatiſſimus *Buddeus*, *Hochſtetterus*, *Werenfelſius*, aliique tandem Theologi clariſſimi, agnoſcunt, agnoſcentque, ſi rem plenius conſiderent, nec affectu abrepti cæcutire, quam videre malint.

CAPVT.

CAPVT XV.

DE NON LÆDENDIS ET TVRBANDIS ALIIS PER SERMONEM IN STATV LIBERTATIS.

§. I.

VTi in libertate viventibus non licet lædere & turbare *alios*; ita iisdem non eſt permiſſum, vt *mentiantur*, & ſic lædant turbentque non merentes.

§. II.

Sed licet vero iisdem ſæpius fingere & diſſeminare falſum, ſimulare, diſſimulare, quia in hoc ſtatu *maior diffidentia* ſubeſt, maius periculum. Vnde certo modo verum apparet, *neſcire eum regnare, qui neſcit diſſimulare.*

§. III.

Nam quæ inter Principes regnat amicitia, aut amicitia non eſt, aut debilis valde laxeque cohærens.

§. IV.

Ex quo fit, vt *difficilius* rebuspublicis ac principibus *credatur*, quam hominibus ſingularibus & priuatis ſub imperio viuentibus; difficilius item potentibus, quam infirmis: quod Gallorum atque Hiſpanorum mutuæ querelæ illuſtrant plus ſatis.

§. V.

§. V.

At nec tamen licet in ſtatu naturæ pacato degentibus *calumnias* diſſeminare de ſui æqualibus, propter decreta *cap*. V. occurrentia.

§. VI.

Non licet *fictis ſermonibus* INCITARE ad bellum externos, non etiam eius, qui nobiſcum in pace viuit, poteſtati ſubiectos. Quod poſtremum *Maria* Scotica *Eliſabethæ* Angliæ Reginæ, & *Henricus IV*. Galliæ Rex *Philippo II*. Hiſpano exprobrauit, quemadmodum *Carolus* Burgundus *Ludouico XI*. primum, & *Ludouico Sfortiæ* Principes Italiæ omnes, ac Galli inprimis.

§. VII.

Sed licet veró ARCANA, quæ vocant, imperii ce'a're, vbi talia (*) ſunt: licet libros ac monumenta antiqua itemq; inuenta regioni noſtræ propria, petentibus denegare. Hinc in multis ciuitatibus ac regnis nefas eſt, docere ius publicum: hinc *Britanni* in *Carolum II*. Regem hodienum inuehuntur, quod *artis nauticæ peritiam* Gallis vulgauit: hinc *Turcis* vitio verti nequit, quod magno Hetruriæ Duci integrum *Liuii* codicem poſcenti abnuerunt; opinantibus, inueniri in eo ſibi admodum noxia, quamuis ſtulte: vt Venetos taceam, apud quos nulli Legatorum permiſſum eſt, cum patricio ſine teſtibus colloqui, aut publicis de rebus diſſerere.

(*) Notum quippe eſt ex actis pacis Weſtphalicæ, in-

interceſſiſſe *Trautmansdorfium*, ne Cæſaris *reſeruata ſumma* aliquid detrimenti caperent, cum principibus atque imperii ſtatibus permitterentur plura, quam olim habuiſſe videbantur, iura, in regimine communi ſimul exercenda & adminiſtranda. Quorum reſeruatorum indicem ſicuti a *Trautmansdorfio* poſcebant Legati Sueciæ & Galliæ; ita præter opinionem accepere reſponſi loco, *imperii arcana* non videri vulganda. Sed credebant quærentes, nihil in imperio arcani ſupereſſe, quod non omnibus poſſet innoteſcere. Igitur exiſtimabatur merito, *Trautmansdorfium* noluiſſe reſeruata Imperatoris ſubiicere publicæ diſceptationi; ideoque arcanorum involucro illa obtexiſſe.

§. VIII.

Licet porro HOSTEM STRATAGEMATE decipere, ei fictis ſermonibus illudere, turbas, falſo diſſeminato rumore, immittere, inimicos extra & intra Reipublicæ, cui præeſt, viſcera ſuſcitare, quia vitam & opes & honorem ei eripere fas eſt. Quo argumento *Mazarinus* inprimis ſe defendebat, quum *Hiſpani* mendacem & impoſtorem appellarent, quod *Cromwelli* ablegatum *Philippi IV.* juſſu Madriti occiſum publicaſſet. Nec obeſt, minime fas eſſe, incitare aliquem ad facinus, quod efficere incitato ob legem non licet. Neque enim quiſquam inducet animum, hoſtem ſuum dignum eſſe, qui habeat fideles ſubiectos; potius mereri eum ſtatuent, vt ab omnibus deſtituatur, & ad partes ſuas tranſeant recedentes a Domini prioris obſequio, ceu

ceu monitum ſupra *cap. X.* §. 43. Ac recedentes vero iure id facere; nec parendum Regi, vel Principi tam iniuſto. Aliter, pergent, in bello rem geri, aliter in pace. Quod ſcelus in otio, id virtutem videri, belli formidine circumſtrepente, aut vitæ periculo imminente. Vnde mirum, torſiſſe ſe Theologos Philoſophosque in Dauidis actis vel defendendis, vel excuſandis, vel incuſandis hac parte. Saltem concoquere vix poſſum, CALOVIVM Dauidem peccati poſtulaſſe *dementiam* ſimulantem, cum verſaretur in ciuitate *Achis*.

§. IX.

Quin licet itidem RECTORI CIVITATIS propter commune, vel ſingulare bonum falſum dicere, aut aliud, *Salomonis* & *Conſtantii Chlori* (de quo *Hertius* ad *Puffend.* Lib. IV. c. I. n. 17.) exemplo, ſimulare; licet *languenti populo* fictis *gaudiis* ſtimulos addere; licet etiam ſubiectis *nouarum rerum* immodice *cupidis* fabulas narrare. Nec reprehendendus foret *Papirius*, Iuuenis aſtutus, ſi alii, quam matri, curioſe filium roganti, quid in ſenatu decreuiſſent, tam fabuloſa inſinuaſſet. Qui enim celare poteſt veritatem eos, qui nullum ius habent illam cognoſcendi, iſte quoque fingere pro re nata nonnihil poteſt, vt deſinant quærere & expiſcari, quod ſine periculo queunt ignorare. vid. *Grot.* Lib. III. c. I. §. 15.

§. X.

§. X.

E contrario prohibitum eſt, hoſti ad PACEM REDIRE volenti verba dare. *Grotius* inter ſermonem aſſerentem, qui publico hoſti noceat, & promittentem haud male diſtinguit. Nam ex promiſſione ius ſpeciale ac nouum ei, cui fit promiſſio, confertur: idque inter hoſtes quoque, nulla *hoſtilitatis* exceptione valente, locum habet. Quod non tantum ad promiſſa expreſſa, verum etiam tacita, vt in colloquii poſtulatione, merito extenditur. Vnde excuſari vix poterit *Mazarinus*, in litteris ad *Tellierum* ſcriptis aperte faſſus, ſe *Ludouicum Haræum*, Hiſpaniæ adminiſtrum, nil tale ſuſpicantem, *decepturum ingenioſiſſime.* Decipere quidem hoſtem licet, non autem ab hoſtili ſtatu redeuntem. Sed moras tamen nectere, inſtare, ſimulare ac diſſimulare vtique permittitur Legatis, dum tractant, & cum inimicis redeuntibus in gratiam pacis negotia in ordinem cogunt.

CAPVT XVI.

DE NON LÆDENDIS ET TVRBANDIS ALIIS PER SERMONEM IN STATV CIVITATIS.

§. I.

MEntiri ciui non minus prohibitum eſt, quam homini in libertate viuenti.

§. II

§. II.

Tantum obſeruandum, Reipublicæ rectores amplius & copioſius declarare, quid ſit mentiri, & quis itidem ius habeat percipiendi veritatem, atque exigendi, quod eſt verbis enuntiatum promiſſumque : ita tamen, vt hac parte communem coniunctionem humani generis, vel ciuium perpetuo habere ante oculos debeant.

§. III.

Sic non habetur pro mendaci, qui, quod *promiſit*, non ſeruat ei, cuius ius *iudicio ciuitatis* eſt ſublatum. Verba priuatorum, & eorum aſſeuerationes ac promiſſiones voluntati imperantium ſunt ſubiectæ.

§. IV.

Ex eadem ratione non mentitur MVLIER, quæ fideiubet, & poſtea *ſenatusconſulti Velleiani* exceptionem creditori obiicit, aut *curatoris* abſentis. Quæ enim plene conſentire & intellectu perfecto gaudere negatur, mendacii tam abſolute argui non poteſt, perinde ac minor.

§. V.

Potius is fraudem intendere animo præſumitur, qui cum eiusmodi perſonis, modo legibus præſcripto, non contrahit.

§. VI.

Vnde non penetrant Juriſconſulti, qui Senatuſconſulta & legis *actionem iure* competen-

petentem *ipſo iure* tollere non potuiſſe tradunt. Potuiſſent vtique, ſi placuiſſet.

§. VII.

Aliud merito ſtatuitur, ſi quis *priuilegio* ſuo ad infirmos circumueniendos abutatur, aut homines etiam prudentes, qui ſtatum loquentis ex facto bona fide ignorant, captioſe fallat. Inde recte *filiofamilias*, *minori*, pupillo, pubertati proximo, ſocio; qui ſe maiores, adoleſcentes, patres familias, non ſocios ſimulant; aut etiam feminis, quæ de re ac ſtatu ſuo bene fuerunt informatæ, iuris beneficia negantur: *malitia* quippe non ſolum ætatem, verum etiam mentis quemcunque defectum ſupplet.

§. VIII.

Multo minus mentiri videtur, qui, cum ſine addito *fideiuſſiſſet*, exceptionem *excuſſionis* & *diuiſionis* lege permiſſam opponit, quæ in fideiuſſione, ſecundum Romanorum conſtitutiones, opponuntur.

§. IX.

Quemadmodum nec mendacii reus eſt, qui *merces* ſuas generatim laudat, vt vendat carius; aut etiam alienas deprimit, quo emat vilius, aut denique, ſine fraude, diuerſum ab eo, quod ſentit, ſimulat diſſimulatque. Neque enim, vti infra diſſeremus, rebus pretia inſunt. Ab opinione & voluntate contrahentium hic omnia dependent, vt recte arguit illuſtris *Thomaſius* in diſſertatione

 pere-

pereruditа de *æquitate cerebrina* l. 2. *Cod. de reſcind. vendit.* cap. II. §. XV. ſeq.

§. X.

At falſus omnino & mendax habetur, qui, *quod debet indicare*, læſi damno, RETICET & inficiatur, aut cum de re eiusque qualitatibus *ſpeciatim* quæritur, *iactanter* reſpondet, aut *ambigue* ex propoſito loquitur.

Illuſtretur de reticentia egregius *Ciceronis* locus *lib. III. de officiis cap. 16.*

§. XI.

Dico ex propoſito. Nam qui in ambiguitatem, quæ ſæpe deuitari non poteſt, incidit, nec doli, nec perfidiæ accuſari poteſt. Ambiguitates vero omnibus in linguis, quæ ſunt cognitæ, occurrunt: quod iam *Tullius* agnouit.

§. XII.

Pari argumento, alieno arbitrio ſubiectis cenſeri debet permiſſum, reticere verum, aut fingere falſum, idque Imperantibus dicere, aut diſſimulare & ſimulare, ſi legi diuinæ contraria præcipiant, aut generis humani vtilitates peruertere contendant. Voluntas enim diuina omnem voluntatem & imperium humanum antecedit. Ex quo capite obſtetrices Ægyptiacas defendimus.

§. XIII.

In ceteris CIVES, cum vrgentur, & ab iis poſtulatur, *teſtimonium veritati perhibeant*, ne-

neceſſe eſt, partim ex obligatione generali, partim ſpeciali. Quin nec SILERE poſſunt, vbi rei publicæ ſalus id expoſcit : de quo ſilentio flagitioſo plura in diſſert. *ad legem maieſtatis* ſcripſimus : idque ſane ſubtile nefas non eſt, ceu ludit *Grotius* in *carmine*, ſed ſatis craſſum ac ſenſile.

§. XIV.

Illud adhuc ambiguum eſt, an ob MAVM GRAVISSIMVM veritatem dicturo imminens eadem reticeri, aut falſum enuntiari queat? Adfirmant id *Hobbeſius* & *Puffendorfius*, adfirmat iam quoque *D. Thomaſius*, negant ceteri ad vnum fere omnes.

§. XV.

Mea ſic eſt ſententia, dubitandum non eſſe, quin, ſi mente præſcindatur TIMOR *dolorum*, *vulnerum*, *mortis*, nemo non ſit dicturus, vt magiſtratui quærendi ius, ita in reſpondentes vera enuntiandi obligationem incumbere. At quando illum TIMIDITATIS gradum ſummum, qui eſt in omnibus, & per quem malum, quod infertur, vt maximum, auerſamur, conſiderant æqui lectores ac iudices ; tum forte NATVRALEM etiam NECESSITATEM animaduertent iidem, nec aliter facere poſſe homines iudicabunt. Vnde eo tota quæſtio redit, an ad id poſſim obligari, quod *natura* mihi eſt *impoſſibile*, non autem quod quibusdam videtur *poſſibile*, & illis forte, qui vitæ tædio laborant? Id fa-

teor, poſſe ciuitatem ob publicum bonum, procurare delinquenti *hoc tædium*, aut *maius* neganti oſtendere *malum*, hoc eſt cogere eum, fidiculis vt pateſcat veritas.

§. XVI.

Similiter nemo obſtringitur enuntiare, quod ſcit, ad *ſeipſum accuſandum*, vel alium; cuius *damnatione* vita ſibi acerba eſt futura. Quod prudenter animaduerterunt Legislatores, qui neque patri in filium, neque coniugi in coniugem, neque filio in patrem, neque cuiquam alii in eum, ſine quo ali non poteſt, teſtimonium dicendi vinculum iniecerunt: optime iudicantes, *fruſtra eſſe teſtimonium, quod a natura præſumitur corrumpi*: eſtque *limitatio* ICtorum hoc loco admodum inficeta, tum demum admittendas huiusmodi perſonas ſtatuentium, *ſi veritas aliter haberi nequeat.* Neque enim hic eſt ſperanda veritas.

vid. *Hobbeſ. de Ciue* cap. II. n. 28. ſeq.

§. XVII.

An autem FINGERE poſſit *magiſtratus*, potueritque *Prætor*? noua quæſtio eſt. Imperitiores e Theologis Iurisconſultos propterea mendacii accuſarunt, atque in Chriſtianorum numero vix illis locum congruentem reliquerunt, rati, id omne pro mendacio merito haberi, vbi, quod dicitur, reapſe non inueniatur. At deſinent ſic blatera-

terare, quando æquitatem latere ſub *iuris fictionibus* recognoſcent. Fingitur enim propterea, vt ſuccurratur perſonis ſummo alioquin iure preſſis, & damnum facientibus; ceu in actione *publiciana*, ceu in fictione *legis Corneliæ* ac iuris *poſtliminii.* Suntque iſtæ nec meræ *præſumtiones*, nec *ſimulationes*: non *facti*, ſed *iuris*, quod ceteroquin deficeret aut certa ratione noxium foret. Qui ipſemet Legislatoris perſonam ſuſtinet, non indiget fictionibus. Præcipit is atque vetat legemque dicit; obſeruatque haud male *Titius*, fictiones Romanas potuiſſe poni in medium vt leges. Quod bene ſe habet. At Prætor Legislatoris auctoritate carebat: hinc vitio ei minime vertendum, dum finxit aliquando, vſusque colore eſt, veritatem atque æquitatem mirifice colluſtrante. Hiſce perpenſis DADINVS ALTESERRA de *fictionibus iuris* conſuli poterit cum fructu.

CAPVT XVII.

DE IVREIVRANDO.

§. I.

ACcedit pactis hominumque ſermoni ſæpe IVSIVRANDVM: quo ſane opus non eſſet, ſi fides alma inter mortales inue-

niretur, neque horum malitia ſumma DEI IMMORTALIS auctoritate viſa fuiſſet terrefacienda. Hæc iuriſiurandi origo, hæc pudenda cunabula.

§. II.

Et eſt vero illud nihil aliud, quam aſſeueratio religioſa, affirmans ſit, an negans? Nam & per negationem aliquando iurari infinitis exemplis probari poteſt.

§. III.

Dum dicimus *aſſeuerationem religioſam*, ſignificamus, *accedere* aſſeuerationi auctoritatem religionis, cui renunciare ſe adfirmat iurator, eoque auxilio diuino, niſi verum dixerit præſtiteritque promiſſum.

§. IV.

LICEAT ne IVRARE? diſceptari videas. Negantes hic temere ſcrupulos excitant; cum tamen iurandi natura nihil quidquam inuoluat, quod legi diuinæ repugnet: vt exempla ſanctiſſimorum virorum omittam, quæ alio loco examinantur. Quæ vero e *Chriſti* & *Iacobi* dictis in medium feruntur contra ſacramentorum uſum & libertatem, ita potius exponenda videntur, ne quis vel temere iuret, vel in futurum ſeſe obſtringat, quod dein aut plane non, aut difficulter effici poſſit; vel etiam per eiusmodi res aliquid adſeueret religioſe, quæ nihil diuini ſunt: e. g. *terra*, *templum*, cetera.

§. V.

§. V.

Formula conſueta : *ita me DEVS adiuuet*, ex natura iuriſiurandi fluit.

§. VI.

Inuocatur enim DEVS *tanquam teſtis & vindex*, ni, quod promittitur, præſtetur, verumque ſit, quod affirmatur, vel negatur.

§. VII.

Quocirca requiritur, vt is, qui inuocatur, *omniſcius* ſit & *omnipotens*, ſaltem OPINIONE iurantium.

§. VIII.

Nam etſi ſolus verus Deus hiſce perfectionibus eminet; tamen non ignotum eſt, homines ſibi finxiſſe Deos, ac hominibus ſæpe aliisque rebus diuinitatis gloriam attribuiſſe. Ex quo eſt, quod per *genium Principis* olim iurare noluerunt Chriſtiani : qua de re ſpectatiſſimus OTTO, Profeſſor Vltraiectinus, ſingularem diſſertationem conſcripſit.

§. IX.

Quemadmodum vero optandum, omnes vt homines verum Deum agnoſcerent, ac per eum, ſicubi opus ſit, iurarent; ita NECESSITAS ſæpe ſuadet, vt iis etiam deferamus iusiurandum, qui *falſo Deo* ſeruiunt. Error horum hominum non iis, qui deferunt, adtribui poteſt, ſed ipſis, qui iurant. Sufficit, illos hac ratione TERRERI, vt veri-

ritatem, quam debent enunciare, enunciení.

§. X.

Qui vero per id, quod Deum non credunt, iurant, tum *impii* ſunt, tum etiam *vani*, etſi iurandum pro ioculari venditant.

§. XI.

Sed caue tamen dicas, eos, qui per ANIMAM ſuam, aut id, quod ſibi CHARISSIMVM, iurant, non iurare per Deum. Eſt enim iusiurandum *implicitum*, ſeu *tacitum* non minus iusiurandum, quam expreſſum & ſolenne. Senſus eſt, Deum, ſi fallam, omnem in me meaque, quam chara ſint, atque pretioſa, vltionem debere effundere: quod ſecus eſt in *obteſtationibus*, quæ neque *expreſſa* ſunt iuranda, neque *tacita.*

§. XII.

Ex hiſce omnibus vero ſequitur, vt, qui iurat, veritatem iuret, quia promittit, dum iurat.

§. XIII.

Qui aliter, peccat & partim intolerabiliter *immodeſtus* eſt, partim *iniuſtus*.

§. XIV.

Peccat quoque in DEVM, quamuis DEO *nihil promittat*: quod contra eos obſeruandum, qui DEO *peculiariter obligari* iurantes contendunt. Aliud quippe eſt, *impium* eſſe, aliud DEO ad *promiſſum ſeruandum ſeorſum obligari*. Niſi enim ipſum promiſſum

ſit

ſit validum, validum id ſane iusiurandum, aut nominis diuini inuocatio, non efficiet, cum DEVS nec *dolo* ſuccurrat, nec *violentiæ*, nec ex *errantibus* non *errantes* efficiat.

§. XV.

Vnde promiſſiones a perſonis, quibus reuerentia non debetur, metu extortæ, etſi iuratæ, infirmæ manebunt, quemadmodum & facta turpia in ſtipulationem cum aſſeueratione religioſa deducta nunquam aliquid ſtabilitatis accipient: ridiculique ſunt, qui ſine ſcrupulo, aut ipſius Dei *remiſſione*, aut alterius *hominis*, qui pro ſapientiori habetur, *relaxatione* ea omitti non poſſe ſomniant.

§. XVI.

Potius in *coacto iurando* nominis diuini inuocatio vana exigenti, quam præſtanti imputabitur: ut recte D. *Titius* arguit. Adde, turpiter iurata etiam propterea non poſſe impleri, ne culpa noua & grauior accedat culpæ priori. Multo enim peius eſt exſequi turpe, quam promittere, aut iurare. Neque adeo ineptus eſt GROTIVS *Lib. II. cap. XII. n. 7.* quando non valiturum iusiurandum pronunciat, ne illi, vel iſti *bene faciamus*, aut *amici* ſimus. Sat eſt, repugnare hoc *virtuti*, quam Deus tam ſeuere mortalibus ſectandam præcipit, quam ne quieti externæ remoram iniiciat quisquam.

§. XVII.

§. XVII.

Non negamus autem, falſo *iurantem* peccare adhuc *grauius*, quam falſo itemque nude *promittentem*. Concurrunt namque bina peccata: *perfidiæ*, ac *contemptus Numinis* ſupremi.

§. XVIII.

Reservationes, vt vocant, mentales, cauillationes, & falſa interpretamenta ex eo prohibita ſunt, quia alteri ius eſt, expiſcari hoc modo veritatem, atque in promittente obligatio, eam enuntiandi, ne fallat. Et falleret me vero, ſi tam inficetis expoſitionibus locus foret dandus.

§. XIX.

Qui aliter rationes ſubducunt, vti Ieſuitæ, finem iurisiurandi impie eludunt: iurantque ἐν παρέργῳ, præque ſe ferunt obligationem, etſi ſe vere obligatos ipſo facto negant.

§. XX.

Ceterum iusiurandum vnum eſt, puta *promiſſorium*. Diſtinctiones omnes a diuerſis *relationibus* originem trahunt.

§ XXI.

Qui aſſerit, confirmat, renunciat, ſeſe purgat, quod probationi deeſt, ſupplet, PROMITTIT, ſe vel veritatem *enunciaturum*, vel *facturum*, vel *non facturum*, quod promiſit, nec *celaturum* quidquam, quod vel dixiſſet, feciſſet, accepiſſet, *cetera*.

§. XXII.

§. XXII.

Igitur & iuſiurandum *iudiciale*, *extraiudicale*, *iudicis auctoritate*, vel a *partibus delatum*, *relatum*, *acceptatum*, *reliqua*, diuerſæ duntaxat denominationes videntur. Quod dudum *Hobbeſius* deprehendit: reliqui fere non obſeruarunt, eoque magno molimine in illis diſtinctionibus explicandis & diſcendis fere nihil agunt: ſi quosdam effectus iuris in vocibus iam latitantes excipias: de quibus in ſequentibus.

CAPVT XVIII.

DE EFFECTV IVRISIVRANDI IN STATV LIBERTATIS.

§. I.

VTi iuſiurandum abſolute neceſſarium non eſt; ita illud in ſtatu libertatis omitti eo magis poteſt.

§. II.

Vnde etiam viri principes, quia bonæ fidei eſſe, & vitam potius, quam fidem deponere cenſebantur, olim non iurabant, ſed vel *dexteras* iungebant, vel *clypeum*, *ſceptrum erectum*, aliudque fidelitatis ſignum dabant. Quin *Principes* ac *Comites Teutoniæ* pactis ſuis ſimplicibus tantum ineſſe robur credebant, quantum vulgo ineſſe creditur pro-

promiſſis iureiurando vallatis. Qui mos adhuc *quadantenus* durat.

§. III.

Sed fecit tandem error ſuperſtitioque, vt nouum robur producere iuſiurandum crederetur, aut pacta violare non magnum adeo crimen, & peierare contra maximum piaculum cenſeretur: unde & ipſi haud raro iurant, & DEVM inuocant tanquam *teſtem* & *vindicem*, præcipue cum pacis fœdera ineunt, cumque ſolenni ſacramento rata habent, aut etiam cum populo paciſcuntur.

§. IV.

Hinc non tantum *perfidi* aliquando; ſed etiam *periuri* dicuntur.

§. V.

Idem error effecit, vt Deo ſeſe obſtringi ſingulariter per ſacramentum opinarentur; eamque in rem Pontifici plus, quam propriæ conſcientiæ auſcultarent. Qua occaſione multum is ſibi auctoritatis in Principes ac Reges ſumebat, poſtea quam ſemel iis perſuaſiſſet, iuſiurandum ad res ſacras pertinere, nec propriæ ἐπιλύσει alicuius hominis locum relinquendum; ſed remiſſionem, imminutionem, aut relaxationem ſolius ſummi ſacerdotis eſſe. Notæ ſunt dialecticæ nugæ *Innocentii III.* qui hoc ſub obtentu inter *Richardum* Angliæ & *Philippum Auguſtum* Galliæ Regem arbitrum ſeſe interpoſuit, definiturus, quis iuratum fregerit

fœ-

fœdus, quis non? *vid. c.* 23. *X. de iudiciis.* Quod ἄτοπον.

§. VI.

Aut enim VALIDVM eſt promiſſum, aut INVALIDVM. Si prius, PONTIFEX homo, & cui nullum in liberas perſonas imperium competit, liberare promittentes, aut iurantes non poteſt: ſin poſterius, ceſſabit liberatio, quia iam inualidum eſt, nec Deo aliquid promittitur. Quod quidam Iuriſconſulti & Theologi Galli, quid? quod electores Germaniæ in *capitulationibus* animaduerterunt.

§. VII.

Liberant illi potius ſemet ipſos, vbi infirmitas claret. D. *Hertius* cum *Grotio* inter iusiurandum *ad Deum directum* & ad *homines* diſtinguit. Ego non diſtinguo. DEO enim non *iuro*, ſed *voueo*. Quid autem de votis ſit habendum? ſupra ſignificauimus. Vnde facile deciditur quæſtio, an *lex ſacrata* a ciuitatibus mutari queat? quam perperam multi abſolute negant. Sicuti namque leges pro re nata mutari poſſunt, ac fere indies mutantur; ita ſacramentum adiectum nihil noui gignit, ſed ad ſummum efficiet, ne facile mutentur. Aliud ſi ſtatueretur, iurandum ad *moraliter impoſſibile* obligaret: quod nec ipſe *Grotius* adfirmare eſt auſus.

§. VIII.

Reliquæ quæſtiones, an *hoſti publico* ſeruandum ſit iuratum, item *barbaris*, *hæreticis*,

cis, *infidelibus*, *periuris*, *piratis* e doctrina de *pactis* decidi poſſunt. Eſt enim ſacramentum vtique *acceſſorium*, quod ſequitur *principale*, primariumque ſuſtentaculum, id eſt, obligationem antecedentem. Diſſentit hic *Grotius*, ſed ob πρῶτον ψεῦδος illi proprium.

CAPVT XIX.

DE EFFECTV IVRISIVRANDI IN STATV CIVITATIS.

§. I.

SIcut ciuitas terret ciues per *viſibile*; ita etiam terret per *inuiſibile*, ſi malitia & leuitas ſubiectorum id ſuadeat.

§. II.

ROMANI iuriſiurando *extraiudiciali* diu maiorem, quam nudis pactis, effectum adſcripſere nullum. De *cauſſa* diſceptant Iuriſconſulti. Sed eſt certum, ſanam, quam propoſuimus, philoſophiam neutiquam fuiſſe in cauſſa. Potius animum cum *Hubero* induco, ipſam RELIGIONEM fuiſſe impedimento, ne, promiſcua iurandi conſuetudine, res ſanctiſſima profanaretur.

§. III.

Quod autem PRAETOR iuriſiurandi extra iudicium præſtiti actionem induxit, inde eſt, quod

quod ſpeciem conuentionis, ſeu tranſactionis illud habere crederet.

§. IV.

In iudicio vero iam *Numæ Pompilii* tempore iusiurandum ad dubias lites tollendas inualuiſſe videtur: quod e *Dioniſio Halicarnaſſeo* probatu facile.

§. V.

GERMANI antiquiſſimi vti pactis nudis maximam vim tribuebant; ita etiam raro, aut plane non iurabant.

§. VI.

Poſteaquam vero Chriſtianæ religioni nomen dederunt, & dogma inualuit, de ſacramenti vinculo *nouo*, & *firmiori*, quam obſeruetur in *pacto*; tam inter nobiles, quam ignobiles, iuranda cœperunt frequentari cum impetu: Pontificis decretis in forum irrepentibus, quorum præſidio longe lateque iurisdictionem ſuam ſacerdotes propagabant, adſcitis variis, interque illas, ſacramentorum cauſſis, quæ omnibus fere contractibus, clientum ſuorum interuentu, adfigi curabant, vt haberent cauſſam immiſcendi ſeſe negotiis alioquin ciuilibus. Vnde *Mornacius* adnotat, in Gallia, ſub mortis pœna, Notariis fuiſſe vetitum, ne vlli amplius contractui iurandi formulam adnecterent. Adeo metuebant prudentiores *Clericorum* graſſationes, & artes rem ſuam cum vi & technis promouentium.

§. VII.

§. VII.

Enimuero, iuriſiurandi vſu probato, rectores ciuitatum in id cum maxime incumbunt, vt tum clarius definiant, quæ proprie in foris *forma ſacramenti* ſit tenenda, tum quis illi *effectus* tribuendus.

§. VIII.

Hinc FORMVLAM determinant, ac pro re nata aliquando SIGNA TERRORIS corporalia ac viſibilia augent: quorum ſunt varia & obſeruantur permulta, vt, qui per ſe fide bona ſunt deſtituti, enuncient, ac faciant nihilominus, præſtentque, quod *fini* imperantium eſt *conueniens*, nec facile fiant periuri: etſi ſæpe fine ſuo excidunt; quam circumſpecte incedant iidem. Vide, quæ notauit ECCARDVS ad *leges Salicas* Tit. LI.

§. IX.

Ex quo facile diiudicatur, de quo *Carpzouius* & *Finckelthuſius* acriter diſceptarunt, an verba: *bey dem Worte der ewigen Wahrheit*, iurandum contineant, idque explicitum? *Carpzouius* negat poſtremum, *Finckelthuſius* contra adfirmat. Ego cum multis *Carpzouio* adſentio, ſi verum eſt, id, quod *explicatione* admodum indiget, *explicitum* non eſſe. Cumque *forma* a Legiſlatore præſcripta in omnibus ſit accurate ſeruanda, conſequitur facile, vt aſſeueratio SVB FIDE IVRAMENTI verum & formale ſacramentum non ſit, quod eodem gaudeat, quo reliqua, effec-

effectu. Aliud eſt, quid fiat in *foro diuino*, ſeu *poli*? vtpote in quo *propoſitum* & *cogitatio* ſic loquentis, ac promittentis itemque iurantis inſpicitur.

§. X.

Quod illi aliquando contuiti ſunt, qui formulæ : *bey Furſtlichen, Graflichen, Adelichen Ehren und Worten*, effectum iurisiurandi adtribuerunt. Nam etſi conceditur, non videri iuratum, quando Deus in teſtem ac vindicem non inuocatur; putarunt tamen alii, eos, qui ſic promittunt aſſeruntque, velle omnino, vt pro uero ſacramento habeantur talia verba; refertque *Antonius Matthæi* in *manuductione ad ius Canonicum*, in Belgio ſic fallentem infamem fuiſſe declaratum, cum comminatione pœnæ in periuros ſtaturæ, aliquando exigendæ, ſi forte in manus iudicis incideret homo periuro oppido æqualis. Nec ambigo, quin veteri Teutonum mori conuenienter ſit iudicatum, apud quos nobilium promiſſa *vicaria* erant *ſacramenta*. At moribus hodiernis dura videbitur Belgarum ſententia, inprimis formulariis, neminem *periurum* exiſtimantibus cum effectu legali, niſi qui conceptis ac ſtatis iuraſſet verbis : cum viciſſim Belgæ memorata verba æquiparauerint formæ alioquin inter ignobiles receptæ. Quo obſeruato tota lis componetur facili negotio.

§. XI.

Verum tamen cum iuſiurandum vtplurimum DECIDERE *lites* ſoleat, inque iudiciis ad verum expiſcandum ac falſum comparate probandum frequenter adhibeatur, hinc determinant leges, quando iſtud exigi, deferri, referri, acceptari, quando in ſupplementum imponi, quibus in cauſſis, quare declinari poſſit, quare non? Ac venit hæc legislatio partim ab ipſius *rei natura*, eiusque *adiunctis*, partim *prudentia*, item *errore*, *ſuperſtitione*, *abuſu* aliisque forſitan cauſſis.

§. XII.

A PRVDENTIA CIVILI eſt, in dubio vt decidantur lites iureiurando, vel VERITATIS, vel, cum obſtinatio & contumacia in reis deprehenditur, & rei debitæ quantitas non penitus innoteſcit, ſed magis & minus recepit, iuramento AFFECTIONIS, quod vocant, in *litem*. Nec rationi adverſatur, æſtimari aliquid iurato ſupra verum rei pretium, atque, vt in ſcholis loqui ſolemus, *in infinitum*; quam primum conſideretur, quid ſit *affectio*, quam *variet* illa & quamobrem aliquid *indulgeatur*, ſic iurantibus. Qua indulgentia ſicuti interdum abutuntur ciues; ita vitio vertendum non eſt iudicibus, huic ſi moderentur *libertati*.

§. XIII.

Ab ERRORE SVPERSTITIOSO pullulat, omne *ſacramentum ſeruandum eſſe*, *quod ſalua*

ua ſalute æterna ſeruari poſſit; quia iurantes aliquid promitterent *Deo*, cui propterea ſingulariter obſtringerentur; ideoque *ſpirituale* occurrere hac parte.

§. XIV.

Ac ſicuti error errorem gignit; ita nouum inde iniquitatis vinculum eſt coortum, dum, quod lege diuina humanaque *infirmum*, immo *nullum* eſt, ROBORARI creditur IVRANDO.

§. XV.

ABVSVS vero vix ferendus videtur, multiplicata fuiſſe in foris ſacramenta; quorum nimia frequentia ipſi religioni damno videtur eſſe, dum homines adſueſcunt remediis, quibus in ſubſidium foret vtendum, eoque, inter religioſas aſſeuerationes quotidie repetitas, reuerentiam erga Deum fere exuant. Idque Romani timuere primum, quando iurantibus extra iudicium tum actiones denegarunt, tum exceptiones: etſi alias abſurditatis aut iniuſtitiæ prætores accuſari nequeunt, in huiusmodi delatis & acceptatis ſacramentis transactionis quandam ſpeciem obſeruantes.

§. XVI.

Sunt, qui ABVSVI itidem tribuunt, quod TESTI INIVRATO non creditur; ac Conſtantinum M. incuſant, tanquam eius moris auctorem præcipuum. At cognitum eſt profecto in *publicis* ac CAPITALIBVS iudiciis,

 iam

iam *Ciceronis* æuo, immo cum primordiis Romanæ ciuitatis teſtimonium iniuratum fuiſſe reiectum: idque *recte*. In ciuilibus vero, credo, non ſemper exigi ſueuiſſe a teſtibus ſacramenta: donec *Conſtantinus* vniuerſum id præciperet obſeruandum. Creſcente enim hominum malitia, noua ſolet quæri medicina: neque ideo *Conſtantinus*, neque Legislatores reliqui, inſuper CALVMNIÆ iuramentum tum *generale*, tum *ſpeciale*, quod vocant, malitiæ, introducentes, reprehenſione digni ſunt: vtut optandum, *veritate*, non autem *religione* ſola homines fore conſtringendos; ſimul atque intelligi ab omnibus, quod Cicero *pro Roſcio Comoedo* inculcat, *non ex* PACTIONE VERBORVM, *quibus* IVSIVRANDVM *comprehenditur*, *ſed ex perfidia & malitia*, *per quam inſidiæ tenduntur alicui*, *Deum immortalem hominibus iraſci & ſuccenſere conſueuiſſe*. Eaque ratione expenſa *Mennonitæ* non prorſus ſunt culpandi: etſi valde errant, dum in Romuli fæce id ſtatim in foris tolli poſſe ſomniant, quod, mentis præciſione, minus neceſſarium deprehendunt.

§. XVII.

Ceteras concluſiones ciuiles ipſa ferme REI NATVRA ſuppeditauit. Cum enim iurandum extraiudiciale *transactionem* contineat, ſequitur, vt nemo poſſit ad acceptandum cogi, quia transactio arbitrii eſt. Sequi-

quitur itidem, vt iurandum a iudice impoſitum nequeat *referri*; nec de *calumnia*, quæ in iudice non præſumitur, iurandum exigi; quin nec *referri* iis, qui facti cognitione deſtituuntur, *reliqua.*

§. XVIII.

Cumque demum ad extraordinarias probationes deueniamus, quando ordinariæ deficiunt, nec quisquam facile ad religioſam aſſeuerationem ſe trahi patiatur, hinc nemini verti vitio ſolet, ſi *probatione* conſcientiam liberet exoneretque: dummodo teneas, abuti in foro litigantes hac permiſſione, & ad ambages primo delabi; deinde vero ad iurandum redire. Quocirca ſatius fortaſſis eſſet, vt ad probationes confugientibus denegaretur ex poſt facto ſacramenti præſtatio. Sic variæ auferrentur litium protelationes.

§. XIX.

Divisiones iurisiurandi receptæ tolerantur merito, dummodo ne perſuadeas tibi, differre illas *eſſentia*; ſed potius teneas, omnes a *diuerſis comparationibus* videri ortas. Hinc nullius ſemper momenti lis mihi viſa eſt, an iuramentum purgatorium & ſuppletorium ſic recte vocitentur? an Romani iuris architecti hanc diuiſionem inuenerint? Tu dic, diſtinctionem iſtam pro diuerſa conſideratione merito defendi. Nam etſi imperfecta probatio non eſt probatio; hoc ipſo

tamen, quando *actori* imponitur iurandi neceſſitas, illa *ſuppletur* : &, quando *reo* imponitur *purgationis* ſacramentum, id quod exceptioni adhuc adhæret obſcuri, *remouetur* certe ac *purgatur*; quidquid celeberrimus *Noodtius* in contrarium hic moliatur in *probabilibus Iuris* lib. III. c. 6.

§. XX.

Quibus ita diſputatis ac conſtitutis reſtat adhuc, vt de ABSOLVTIONE a iuratis promiſſionibus differamus, quæ inprimis SVPERIORVM auctoritate fit. Nec diu, puto, hac de re deliberandum, ſi teneamus, quod adſtruximus, iurandum, ceu *acceſſorium, ſequi principale.* Igitur quod ſuperiori competit ius in tollendis ac minuendis ſuorum promiſſis, creditis ac debitis, illud eidem quoque tribuendum eſt in diſſoluendis ſacramentis. Fac igitur, turpe prohibitumque fuiſſe promiſſum, cadit id certe cum tota ſacramenti appendice; eamque in rem peculiari abſolutione opus non eſt. Finge porro aliquid, quod noxium ſit Reipublicæ, non tamen prohibitum; & nemo dubitabit, quin liceat Principi auertere damnum a Republica, ita vt nec promiſſum impleatur, nec ſacramentum, quod per ſe nec ius dat alicui, nec comparate obligationem imponit. Sume rurſum, pœnam capitalem merenti iuratum; vel creditorem externum cogendi ius habere, vt ciuis alioquin pu-

publicæ rei admodum neceſſarius ob debitum liquidum excutiatur ad peram vsque & ſaccum; & clarum eſt, tum in pœnam, tum in publicum commodum, ſtatuendi ius eſſe Domino, ne exigatur iurata ſponſio, ſed cadat debitum, vtut de plano promiſſum. Eo ſenſu non adimplentem defendet lex, quæ vetat, quæue eadem contrarium interea in genere iubet. Non indiget quisquam ſpeciatim abſolutione a ſacramenti vi atque effectu. Ius prohibendi, ne exſoluatur, quod videtur deberi, etiam acceſſorium, id eſt, iusiurandum tollit extinguitque. Quod aliquando fit, id vel errori tribues, vel in ſuperfluis recenſebis, vel denique ſcrupuloſæ conſcientiæ peierari ſe credentium nonnihil datum exiſtimes. Sed prorſus vero a ianua aberrant, qui PRINCIPEM ab hoc abſolutionis negotio, ceu profanum, excludunt, & iudici eccleſiaſtico eam facultatem, ſub obtentu reuerentiæ religioſæ, impertiunt. Quod & *Proteſtantes*, quos ita appellant, faciunt quidam. An autem ſuperiores iuranda per ſe firma poſſint tollere, a quæſtione præiudicali pendet : an *pactiones validas* TEMERE queant ſufflaminare, vel delere? Quod poſtremum ſicuti fieri nequit; ita nec primum. Nam & hic componendum eſt *acceſſorium* cum *principali*, ſine quo iſtud concipi nequit, ac multo minus conſiſtere.

 CAPUT

CAPVT XX.

DE DOMINIO.

§. I.

MEum & tuum parit omne bellum tam ante pacta, quam poſt pacta : eoque *res obiecta* noſtræ diſciplinæ eſt præcipua.

§. II.

Ergo de DOMINIO agendum, quod ſine *meo* vix intelligitur atque *tuo* : idque loco definitionis inſeruiat nobis *tantiſper.*

§. III.

Sed non fuit ab initio ſtatim meum tuumque ſingulare.

§. IV.

Nam etſi res omnes DEVS velut in medio conſtituit, vt homines, quoad neceſſarium atque vtile, iisdem vterentur; non tamen in dominia (*) ſtatim vniuerſæ itemque ſingulæ ſunt deſcriptæ, cum iure excludendi reliquos.

(*) Nolui communionis *poſitiuæ*, aut *negatiuæ* vocabulis vti : cum ſine iis res ipſa intelligatur multo clarius. *Poſitiua* namque commune dominium eſt : *Negatiua* res quidem nullius ponit; ſed quid prodeſt tum communionis vocula, & idea? Vbi communio, ibi coniunctio. Quid eſt *negatiua*? Si negatur, res eſſe communes, cadit communio: ſi negatur, res eſſe alicuius in genere, ἄτοπα loquimur; ſi in ſpecie, verum dicitur; ſed antequam

quam hanc diſtinctionem audiat quisquam, iam ſane cognoſcitur res ipſa, cum viciſſim iſti *termini* & obſcuri ſint, ambigui, male excogitati, variisque altercationibus locum relinquant. Pari ratione illi me ingerere diſceptationi vereor, dominiumne ſtatim cum hominis ortu ſit coortum? Pugnatur quippe Andabatarum more. *Hic* dominium vocat vſum rerum cum abuſu conjunctum; *ille*, vbi reliqui excluduntur omnes, nec quisquam admittitur ad rei vſum; niſi ſolus iſte, qui ſe dominum vocat, remque, etſi non indiget illa, ceu propriam tenet ſervatque. Quod indicio eſt, meras λογομαχίας hic occurrere, vno *dominium* ſic, altero aliter deficiente. Igitur ſemper mihi hæc ICtorum ac philoſophorum controuerſia notiſſimæ liti ſimilis eſt viſa, quæ inter *Joannem XXIII.* & Franciſcanos, tempore *Ludouici Bauari*, exarſit, negantibus Monachis, ſe aliquid proprii habere, adfirmante in contrarium Pontifice, ſtultum eſſe, negare proprietatem ea in re, quam interea pro arbitrio comedunt deglutiuntque mendicantes Monachi. Amœna eſt argumentorum in utramque partem adlatorum recenſio a *Dupinio* ſuſcepta; quem videſis.

§. V.

Quamobrem origo dominii ſingularis *facto* hominum adtribuenda eſt.

§. VI.

HOC *factum* MODVS ACQUIRENDI DOMINIVM dicitur.

§. VII.

Qui vel *originarius* eſt, vel *deriuatiuus*.

§. VIII.

ORIGINARII nomen *occupatio* tuetur.

§. IX.

§. IX.

Occvpatio rerum autem propterea *neceſſaria* fuit, quod homines, quorum *numerus* valde eſt auctus, non omnes rebus eorum arbitrio atque vſui permiſſis vtuntur *cum ratione*, quemadmodum *cap.* III. §. 26. ſeq. eſt oſtenſum.

§. X.

Et *occupare* eosdem *ſucceſſu temporis* potuiſſe res ſibi donatas, partim DEI donantis concessio clarum reddit, partim ratio, quam *cap.* III. §. 40. ſuppeditauimus: quæ conceſſio titvlvs poterit appellari. Differunt enim *modus acquirendi* atque *titulus* vt cavssa dominii *proxima* & *remota*. Cum enim quæritur hoc loco, quare dominus fiam, recte & *proxime* reſpondetur: *quia occupaui*. Amplius ſi quis inſtet rogetque, cur *occupare potuerim*? regeritur bene, *quia res erat nullius* atque in medio a ſummo Numine poſita, & ad occupandum expoſita. Cauſſa hæc non eſt proxima, ſed *paullulum* ab hac *diſtans* ſimul-atque magis *iuris*, quam *facti*.

§. XI.

Dixi, *ſucceſſu temporis*. Neque enim credibile ſit, ſtatim *vniuerſa* fuiſſe occupata. Ipſa experientia oſtendit, occupari hodienum *plura* nondum acquiſita.

§. XII.

Qui aliquid *occupat*, animum habendi apprehendendique oſtendit; idque *clare*.

§. XIII.

§. XIII.

Oſtenſio hæc vel *verbis* ſit, vel *factis*. Plerique veterum Jctorum *factum* requiſiuere & *capionem*: Caii ac Labeonis exemplo etymologiam verbi *occupare* ſecuti.

§. XIV.

Hinc *corporalem apprehenſionem* flagitarunt, vtque manu velut atque haſta prematur captum. Quod vulneratum, *nondum* credebant *occupatum*. Trebatius contra, quem interea poſteriores Jcti exſibilarunt ſere. Ego vero, quod ad rem, *Trebatium* iure cenſeo defendendum. Ponitur enim iam, rem capiendam eſſe nullius. Captura initium habeat neceſſe eſt; inque primis cum capitur *fera*, initium aliquando a vulneratione fit, acceditque *perſecutio*, in qua me impedire nemo poterit *rationi* & iuri innixus; ſi intelligat, me vulneratum animal perſequi: quod luculentius deduxi in diſſertatione vernacula: *Von Erlangung des Eigenthums ohne Beruhrung und corperliche Bewahrung* §. IX. *Gundlingian. part.* XXXI. *obſ.* 1. Jctus *Caius* conſequa ratione vix argumentatur, quando putat, poſſe interea fieri, *vt non capiam.* Eſt hæc exceptio de fortuna tertii. Sufficit, me perſequi, neque a *cœpta* occupatione deſiſtere. Nec pungit, *cœptam occupationem* eſſe nihil. Addas igitur, me *continuare* animo & corpore, vt *capiam* prorſus, ni remoram iniicias, & præter fas, ab apprehenſione

cor-

corporali me auertas. Vno verbo : abſurdum eſt in naturalis iuris diſciplina, determinare *modum occupandi*, quod faciunt leges ciuiles : quæ, ob varias cauſſas liteſque præſcindendas, ſignum euidentiſſimum cum apprehenſione & cuſtodia exigunt. Iure, an iniuria, nondum diſputo.

§. XV.

Vnde, quid de ſententia NERVÆ habendum, iudicari ſine negotio poteſt, ſtatuentis, *piſces qui in ſtagnis ſunt, aut feras, quæ in ſiluis circumſeptis vagantur, a nobis non poſſideri, quoniam relictæ ſunt in libertate naturali* (v. l. 3. ff. de *acquirenda vel am. poſſ.* §. 14.) *Nerua* namque *filius*, cuſtodiam arctiorem deſiderabat, ac *ſedium iuxta poſitionem*, anguſtioremque incluſionem. Secundum rationis ſimpliciora principia ſat fuiſſet incluſiſſe; ex quo facto patuiſſet certe, me nulli alii ius occupandi permiſſurum; cum iam *occupauerim*. Arctior, an laxior cuſtodia, *viuarium* ſit, an ſilua *ſepta*, *ſtagnum*, an *piſcina*? parum hic refert. Saltem non comprehendo, quomodo in naturali libertate relictæ ſint feræ, cum circumſepta eſt ſilua, & ſtagnum finitum, quod tranſnatare piſces nequeunt, ſicuti fines circumpoſitos feræ, utut laxius incluſæ, nequeunt tranſilire. Et præpono autem ſtatum pacatum, ac res, in quibus nulli alii ius quæſitum eſt. Modus occupandi, aut etiam poſſidendi meo arbitrio re-

relinquitur. Vt anguſtius concludam conſtringamque mea arctius, prudentiæ relinquitur. Iam quæritur, an alteri ius ſit occupandi laxe concluſum?

§. XVI.

Vt vero vnus; ita plures vnam eandemque rem poſſunt occupare ſimul. In rebus nullius corporalis prehenſio neceſſaria non videtur. Poſſunt videntes & animum habendi clare ſignificantes communes domini fieri; ita ut nulli aliquid *prærogatiui iuris* competat. Idque TITIVS *J. P. R. G.* lib. III. *cap.* V. §. 14. *ſeq.* comprehendit bene.

§. XVII.

Quidquid auctores de rebus mobilibus atque immobilibus RITE occupandis diſſerunt, inane exiſtimes. Ipſa ratio ac ſenſus oſtendunt, quid ſolo *viſu* & animi declaratione meum fieri poſſit; & quid debeat manu, aut corpore ſimul prehendi. Multa in medio iacent, quæ non vagantur. Seſe mouentia atque agitantia, prehendenda ſunt; fateor. Sed quomodo, quam arcte, quam anguſte? nemo definire, *ratione mei*, poterit. Credo ſuffecturum vnicuique, ſi intelligat, me rem hanc nullius occupatam exiſtimare; dum animum dominii habendi continuandique ſignifico; idque clare animaduertit alter. Vt firmius occupem, ne quis eripere illam rem vllo tempore poſſit, ad rhombum non pertinet. Neque enim homi-

mines ratione præditi eripiunt inuitis, quod ſe putant tenere; atque in quo ipſis ius occupandi negare nemo poteſt.

§. XVIII.

Ergo potius tenendum, *occupationem* vel eſſe *principalem*, vel *acceſſoriam.*

§. XIX.

ILLA res per ſe conſiſtens, modo ſit *nullius*, aut *derelicta*: HAC rei noſtræ accedens acquiritur.

§. XX.

Exemplum acceſſoriæ occupationis occurrit in FOETVRA ANIMALIVM, cum vtrumque animal noſtrum eſt, aut *admiſſarii* dominus nihil nobis impedimenti faceſſit. Alias enim *fœtus* eſſet potius *communis.*

§. XXI.

Occurrit quoque in ALLVVIONE, in qua *dominus* arenularum aliunde pedetentim decerptarum, appoſitarumque in meo, *ignoratur*: occurrit in ADIECTIONE TERRÆ cum *coalitione* coniuncta, quam prior dominus dereliquiſſe viuus ſciensque, poſt tantum temporis ſpatium, merito cenſetur.

§. XXII.

Occurrit item in THESAVRO, ac veteri pecuniæ diſpoſitione, cuius memoria non extat; in AMISSIS & ABIECTIS, in gemmis, in INSVLA, in derelicto ALVEO, niſi dominus appareat.

§. XXIII.

§. XXIII.

Vnde NOVVS ALVEVS, quem flumen per alterius agrum ruens *efficit* atque iterum *relinquit*, ad priorem, qui *cognoſcitur*, rei principalis dominum pertinet. Nec omittendum, nihil nobis per *alluuionem* adiici, ſi noſter ager certis finibus ſit circumſcriptus; iique fines in oculos incurrunt. *Grotius* diſtinxit inter agros *arcifinios* & *limitatos*, non bene capiens verba ſcriptorum rei agrariæ, ceu iam I. F. *Gronouius* animaduertit.

§. XXIV.

Quoniam autem ſæpe fit, vt, quam rem occupaui, aut teneo, retinere nolim, ſed eam pro arbitrio in alium transferre cupiam, ſequitur etiam, ut modus acquirendi dominium DERIVATIVVS ſit admittendus.

§. XXV.

Hic vel *voluntate* domini prioris *expreſſa*, vel *tacita* abſoluitur.

§. XXVI.

Expreſſa vel ſolis verbis indicatur, vt ſi quis *teſtetur*, ſe alterius gratia iure ſuo cedere, vel translatione poſſeſſionis, hoc eſt, *traditione accedente*.

§. XXVII.

Eſt enim TRADITIO rei corporalis & poſſeſſionis translatio cum implemento coniuncta, ad *dominium* alteri impertiendum.

§. XXVIII.

Vnde per ſe fluit, adeſſe debere TITV-

LVM

LVM ad transferendum dominium habilem.

§. XXIX.

Quomodo *titulus* & *modus acquirendi* diſcrepent, §. XI. monitum. Duntaxat addendum, *cauſſas* ac *titulos*, ob quos deriuatur & traditur res ceu propria, varios eſſe, e. g. pro empto, donato, permutato, *cetera.*

§. XXX.

Fluit etiam exinde, rem requiri in traditione a *poſſeſſione* alterius *vacuam.* Extinguenda enim eſt poſſeſſio primi, vt vincat poſſeſſio poſterioris.

§. XXXI.

Quæ autem perſonæ ſint *tradentes*, quave pollere debeant facultate tum *phyſica*, cum *morali*, e capite *de pactis* præponitur.

§. XXXII.

Quibus obſeruatis facile colligitur, TRADITIONEM de iure naturæ non eſſe abſolute neceſſariam, quamuis per eam *longe euidentior* reddatur dominii tranſlatio, quam per verba ſola. Vnde, quæ in contrarium affert *Kulpiſius* in *Colleg. Grot.* diſp. V. facile reſpondeas, diſpellasque.

§. XXXIII.

Quæ de ACCESSIONE *artificiali* & *fortuita* iisque, quos ſub his verbis latere credunt, ACQUIRENDI MODIS, *ſpecificatione*, *intextura*, *adiunctione*, *confuſione*, *commixtione*, *inædificatione*, *plantatione*. *ſatione*, *ſcriptura*, *pictura*

pictura aliisque, vulgo afferuntur, non tam noui acquirendi modi ſunt, quam acquiſitionum occaſiones, vnde dominium occupatione, aut partium conſenſu, aut, vti infra clarebit, iuris ciuilis auctoritate ſæpe oritur, recteque hac parte *Theophilus Gerhardus Titius* ratiocinatur, cui noſtram obſeruationem potiſſimum debemus.

§. XXXIV.

Quod ſi enim curate eius generis ACCESSIONES circumſpiciamus, elucebit ſane, non tam per illas transferri dominium, cum conſenſus de eo transferendo deficiat, quam COMMVNIONEM oriri naturaliter, a qua deinde in ſocietatem indicentes aut ſuo, aut alieno arbitrio reſiliunt, & ſi *auelli* ſingula poſſunt, ſuum vnicuique reſtituunt, vel ubi *ſeparatio* locum habere nequit, in alterum integra tranſcribunt.

§. XXXV.

Per COMMVNIONEM intelligitur duorum pluriumque dominium coniunctum pro indiuiſo: quamlibet unusquisque rei ſuæ dominium retineat; adeoque *communio* improprie dicitur. Quod vt intelligatur rectius, faciamus de ſingulis periculum.

§. XXXVI.

SPECIFICATIO ex materia in totum, aut pro parte aliena nouam ſpeciem efficit, ſine domini materiæ conſenſu. Nam qui conſen-

ſentiunt, in COMMVNIONEM PROPRIAM conſulto veniunt.

§. XXXVII.

Qui *rem ſuam* immutat, dominium iam habet; qui *materiam alterius* fabricandam & poliendam ſuſcipit ſuasque operas locat, de dominio acquirendo non cogitat.

§. XXXVIII.

Ergo quæritur, quis *primo caſu* acquirat nouæ ſpeciei dominium? Icti Romani varia excogitarunt. Notæ enim ſunt *Sabinianorum* & *Proculeianorum* lites, (*) nota eſt deciſio IVSTINIANI. Omnium ſimpliciſſime feciſſent, ſi ſtatuiſſent *communem*, &, ni placuiſſet coniunctio, dominium ſpecificanti adtribuiſſent indiſtincte, refuſo materiæ domino pretio, quæ eſt ſane *fungibilis*, nullamque ordinarie *affectionem* complecti videtur.

(*) Schola PROCVLEIANORVM putabat, formam operi *ſubſtantiam* tribuere, non materiam: idque e Stoicorum doctrina fluxit. Saltem *Seneca* Stoicus *epiſt.* 88. *Ligna*, inquit, NIHIL *naui conferunt, quamuis non fiat nauis ſine lignis.* SABINIANI vere & CASSIVS formam operis e materia duci credebant, quod *l.* 7. §. 7. *ff. de acqu. rer. dom.* innuit. IVSTINIANVS, vt herciſcundus, CAII ſententiam ſectatur, eo reſpiciendo potiſſimum, an ad materiam priſtinam poſſit reduci res informata effictaque?

§. XXXIX.

Eadem deciſio in ADIVNCTIONE, INTEXTVRA, PICTVRA, SCRIPTVRA, ÆDIFICA-

FICATIONE ſequenda eſt, ſi ſeparari commode nequeant intexta, adiuncta, ædificata. Canon vulgaris: *acceſſorium ſequitur ſuum principale* ἄ'ποπα vtentibus aliquando ſuggeſſit.

§. XL.

Nec alia circa IMPLANTATIONEM & SATIONEM ſententia excogitari debet.

§. XLI.

Adeſt hic, *ſeparatione* non obtinente, *eadem communio*: a qua, ſi recedunt, omnium optime res fungibilis in eadem quantitate & qualitate plantantibus & ſerentibus reſtituitur, aut, quod fundi domino deeſt, puta, ſi vili frumento contemptisque plantis conſitus ſit ager, eius penſatio fit.

§. XLII.

In CONFVSIONE, aut MIXTIONE rerum liquidarum & aridarum communio obtinebit itidem. In diuiſione *proportio* inter res confuſas & mixtas obſeruabitur.

§. XLIII.

Ex quo dilucide apparet, acceſſiones has omnes *acquiſitioni deriuatiuæ* demum occaſionem præbere, quæ partim æquitate ipſorum *ſociorum*, partim *arbitrorum* definienda.

§. XLIV.

Magis controverſum obſeruatur, poſſitne dominium per TESTAMENTVM valide de iure naturæ in alium *deriuari* ac transferri? Quæ vt decidatur quæſtio, ante omnia definitio *teſtamenti* eſt conſideranda.

§. XLV.

Et eſt vero ID declaratio voluntatis noſtræ de ſucceſſione in bona noſtra, poſt mortem noſtram, reuocabilis tamen, ex qua aliis demum ab obitu noſtro ius validum enaſcitur.

§. XLVI.

Vnde decipitur *Grotius*, qui teſtamentum *alienationem* dixit in mortis euentum, *retento* interea iure poſſidendi & fruendi. Quem recte propterea illuſtris *Cocceius* caſtigauit. Neutiquam enim quæſtio eſt, quæ *definitio nominalis* Teſtamenti queat exſtrui; ſed quæ ſit illa, quam nunc ex iure Romano approbamus; cui plerique robur ſolent adtribuere immutabile ex iure neceſſario naturali: illudque pro TRANSLATIVO acquirendi modo venditant, & alienatione prorſus firma.

§. XLVII.

Sed alienatio vero minime poteſt eſſe, vbi nihil transfertur viuo teſtatore in hæredem, ſed is omnia pleniſſimo dominii iure retinet, donat, in alium pro arbitrio ex poſt facto transfert, *hæredi* declarato adimit: vt taceam, in huius eſſe poteſtate, repudiare poſt mortem teſtatoris ſibi deſtinatam hæreditatem; ita vt ne momento quidem poſſeſſor, vel dominus ſit.

§. XLVIII.

Quæ aliæque obſeruationes efficiunt, vt propoſita quæſtio de TESTAMENTORVM firmitate

mitate ex iure naturæ merito negetur: quamlibet nemo ſit dicturus, *teſtamento prohiberi.*

§. XLIX.

Quod ſi enim teſtamentum alienatio non eſt inter viuos, non erit quoque alienatio inter mortuos. Incomprehenſibile eſt, quomodo poſt mortem teſtatoris, qui dominium amplius & voluntatem non habet, alienatio & traditio capere INITIVM queat.

§. L.

Donatio mortis cauſſa nobis non obeſt, vtpote quæ reuera eſt donatio inter viuos, ac conditionalis: quod obſeruarunt illuſtres Viri *Cocceius* & *Thomaſius*.

§. LI.

Multo minus obeſt, quod aiunt, donationem ſæpe *conditionaliter* fieri. Haud negamus hoc, vtut negamus, teſtamentum eſſe *donationem conditionalem*: quia reuocari quocunque tempore poteſt: in conditione exſpectandum eſt, donec impleatur, vel non.

§. LII.

Poteſtas alienandi vero in vltimo mortis articulo fruſtra vrgetur. Non enim hic quæritur de *poteſtate morientis*, qui adhuc *viuit*, ſed mortui, cuius vt omnia iura, ita dominium exſpirauit. Qui autem adhuc ſpirat, omnia ſibi reſeruat, nec quidquam immutabili ratione transfert, ſi propoſitum ipſi ſit, condere teſtamentum.

§. LIII.

Vnde diuiſiones & parentum diſpoſitiones ſecus ſentientes non iuuant, vtpote quæ *actibus inter viuos* merito accenſentur.

§. LIV.

Relinquiturque, vt omnis de TESTAMENTIS, quibus vniuerſa bona, & CODICILLIS, quibus pars eorum in alium poſt mortem transfertur, diſpoſitio e iure ciuili oriatur: quod etiam præſtantiſſimus JCtus *Bynkershœckius Lib. II. obſeruat.* 2. agnouit.

§. LV.

Vti vero ex antecedentibus ſatis elucet, quomodo translatio dominii *expreſſis verbis* fiat; ita iam declarandum eſt, quomodo TACITE contingat.

§. LVI.

Et talis modus VSVCAPIO eſt, quæ non tantum iuri naturæ *non repugnat*; verum etiam eo *firmatur*.

§. LVII.

Neque enim dubium eſt, qui, ſicut *expreſſa* conuentione exſtinguuntur & transferuntur iura noſtra; ita deleantur *tacita*.

§. LVIII.

Et tacita autem conuentio cum ratione intelligitur, vbi longo, & quod memoriam hominum excedit, tempore rem meam in manibus aliorum relinquo, ſiue intelligam, vbi ſit, ſiue neſciam. Si enim prius, cur non repeto? Sin poſterius, multo magis colligi-

ligitur, me propterea accuratam inquiſitionem non inſtituiſſe, quia pro derelicta habui, nec habere, aut retinere amplius cupio.

§. LIX.

Cui non aduerſatur, me *timuiſſe* forte alterius *potentiam*. Neque enim veriſimile fit, intra tantum temporis ſpatium, timorem numquam ceſſaſſe, neque ullum habendi indicium me prodere quiuiſſe.

§. LX.

Voluntas, quæ, poſt tantum ætatis interuallum, oſtenditur, non magis efficax eſt, quam voluntas retinendi donatum, poſteaquam ius meum expreſſis verbis tranſtuli. Quod contra NONNVLLOS obſeruandum, qui eius farinæ argumento utuntur.

§. LXI.

Vt taceam, in *re immobili* exemplum vix dari, ut reſciſcere longiſſimo tempore non potuerit dominus, vbi res ſua ſit. In *re mobili* autem, etſi forte contingere poteſt; tamen a vero alienum eſt, me dominium *poſt ævum* rite poſſe *probare*. Non eſſe autem & non apparere, in moralibus habentur perinde.

§. LXII.

Inde per ſe concidunt, quæ de *bona fide* & *titulo iuſto* in medium feruntur. Cum enim non extet memoria, nec mala fides, nec titulus iniuſtus poterit demonſtrari.

§. LXIII.

Litterarum monumenta non ſufficiunt, quia ex illis, illuſtri *Thomaſio* adſtipulante, tantum probatur dominium præteritum, non præſens.

§. LXIV.

An autem in præſcriptione DEBITI litterarum & inſtrumentorum poſſeſſio præſumtionem derelictionis elidat, res altioris indaginis eſt: etſi idem erudite affirmatur. Saltem id dubii & quæſtionis remanet, quare tanta temporis intercapedine non produxerim inſtrumenta? & an nunc, poſt tot ſæcula elapſa, præſumi poſſit, me meosque non dereliquiſſe creditum. Minimum actus & negotia humana, atque hominum natura, etiam in hoc exemplo, vbi repetendi voluntas non apparet clarius, *derelictionis* veriſimillimam *coniecturam* ſuppeditare videntur. Poteſt namque aliquis ignorare litteras, vnde obligatio ortum traxit; aut ſi cognoſcat, bona fide exiſtimare, non curare id debiti creditorem, qui longiſſimi temporis interuallo nec monuit, nec numum exegit vnum. Sed cogitandum tamen vlterius.

§. LXV.

Dumque ſic cogitamus, SVCCESSIONES interea AB INTESTATO examinabimus, quas ad vnum fere omnes pro *modo acquirendi deriuatiuo*, ex tacita, vel PRÆSVMTA voluntate orto, venditant.

§. LXVI.

§. LXVI.

Sed cum mortui, quemadmodum ſupra oſtendimus, nulla amplius voluntas vera ſit, nullum ius, nullum dominium, cadet etiam SVCCESSIONVM AB INTESTATO firmitas: quam a præſumta voluntate defunctorum arceſſunt: corruetque ſimul TESTAMENTVM, quod excogitauere, PRÆSVMTVM. Nihil enim præſumi poteſt, quod fieri nequit veriſimiliter.

§. LXVII.

Quod vero de liberis omnes fere gentes conſentiunt, ex *æquo* PARENTVM *communique* VOTO eſt, qui bene cupiunt ſuis; dulcique deſiderant officio fungi; quod commune votum reſpiciunt imperantes in ciuitate, ne inſolita præcipere videantur: ex quo tamen neutiquam inferendum, adeſſe hic argumenta cogentia, vt liberis neceſſario ſit hæreditas relinquenda. Nam etſi illi alendi ſunt, quamdiu ſibi ipſis proſpicere nequeunt; vix tamen conſequitur, durare obligationem poſt mortem; ac multo minus, peccare Parentes, ſi aliis opes ſuas tum inter viuos, tum mortuos deſtinarent. Quidquid in fauorem liberorum, aliorumque diſpoſitum inuenitur, *arbitrio* legiſlatorum, in medio ciuium bona relinquere nolentium, tribuendum eſt: quod variat, nec vſquam fere locorum inter ſe concordat. Etiam Africani fratribus, non autem liberis copias

ac

ac facultates ſuas poſt mortem adſignant, quod ex itinerario *Boſmanni* mihi innotuit, quem videſis.

§. LXVIII.

Vnde relinquitur, non dari de iure naturali noſtro legitimam: licet præterire quoſcunque, licet præferre externos ſuis. Quæ forte oriuntur turbæ, oriuntur ex accidenti. Non læditur *contradicentium ius connatum*, non etiam *acquiſitum.*

§. LXIX.

Hiſce adnotatis palam tandem fit, *duos* tantum acquirendi dominium modos eſſe, *originarium*, qui eſt OCCVPATIO, *deriuatiuum*, qui eſt PACTVM, quam interdum a tergo ſequitur TRADITIO.

§. LXX.

DOMINIVM autem, quod nunc plenius definiam, ius in rem eſt, ob quod res corporalis noſtra dicitur, eoque modo non pertinet ad alium, quod pertinet ad nos. Noſtrum vero huiusmodi rei qualitatem ponit, eſſe vt poſſit noſtra.

§. LXXI.

Hæc in eo conſiſtit, vt occupari & cuſtodiri iuris intellectu poſſit, nec ſit inexhauſti vſus. De cetero nihil intereſt, *mobilis ſit*, an *immobilis*, *fungibilis*, an *non fungibilis*, *ſacra*, an *profana*, *ſancta*, an *religioſa*, *publica*, an *priuata*, *ſingularis*, an *vniuerſalis*: ſunt enim hæ voces vnius tantum

tum rei variæ denominationes; de quibus nonnihil iura ciuilia diſponunt.

§. LXXII.

Quæ tali *habilitate* deſtituuntur, non etiam ſunt in dominio, ſed ſenſu negante communes, aut potius nullius in ſingulari.

§. LXXIII.

Vnde MARE magnum, ſiue Oceanus, AER, LVMEN, CALORQVE SOLIS in genere, in dominio non dicuntur eſſe.

§. LXXIV.

De OCEANO clariſſimus *Byncker shœkius* aliam rationem ſuppeditat, eumque dominio exemptum credit, non, quia *occupari* non poteſt, ſed quia non eſt *retentus*, nec *retineri* poteſt. Quod profecto vel eodem recidit, vel inane ius eſt, quod cum facto oritur & perit, recte arguente acutiſſimo *Titio*: vt ſilentio inuoluam, *poſſeſſionis* haudquaquam eam videri vim, vt ab eius duratione *dominium* ſit ſuſpendendum, quid? quod cum conditio perpetuæ poſſeſſionis naturæ hominum repugnet, hinc perperam ad iurium humanorum durationem poſſeſſio abſciſſe requiritur. Cl. *Thomaſius* paullo aliter *Bynkershœckium* premit in notis ad HVBERI *ius ciuitatis* p. 455. ſeq. ſed negat tamen inprimis, poſſeſſionem iure gentium animo retineri non poſſe: quod & *Titius* facit in diſſertatione: *de dominio in rebus occupatis vltra poſſeſſionem durante.*

§. LXXV.

§. LXXV.

Cauſſa, quæ doctiſſimum *Belgam* impulit, vt ita rationes ſubduceret, ea fuit, quod ex Romana iuriſprudentia obſeruaſſet, *amiſſa poſſeſſione* amitti ferarum *dominium*: quod eſt, petere id, quod eſt in principio. Quæritur enim primo, ſitne hæc ratio naturalis? deinde, ſitne ſola, quam habuere iuris Romani architecti? Primum & poſterius infra negabimus. Vtque, quod res eſt, dicam, tota hæc mihi lis de *maris dominio* eiusque cauſſa inanis fere videtur. Plerique enim, immo omnes in eo conſentiunt, oceanum magnum non eſſe in proprietate vniuerſim; & de eius rei CAVSSA duntaxat diſputant. Vnius autem rei plures eſſe cauſſæ poſſunt: hinc optimum factu, vt coniungantur plures, & ſic tota controuerſia mox diſſipabitur in auras.

§. LXXVI.

Quin enim maris, aeris, luminis calorisque ſolis particula, qua littora alluit ac *rebus noſtris* comparate obſeruatur *coniuncta*, in publico priuatoque dominio ſit, aut eſſe poſſit, nemo forte cum ratione dubitat.

§. LXXVII.

Sed cum id, quod noſtrum eſt, ad nos cum pleniſſimo effectu pertineat, conſequitur, vt dominium complectatur cum *proprietate* etiam VTILITATEM.

§. LXXVIII.

Conſequitur, vt alios a re noſtra EXCLVDERE

DERE eaque abuti poſſimus.

§. LXXIX.

Conſequitur, vt rem amiſſam a quocunque poſſidente VINDICARE queamus.

§. LXXX.

Conſequitur, vt de illa & circa illam quam liberrime inter viuos *diſponamus*.

§. LXXXI.

Etſi enim *D. Titius* exiſtimat, alienationem, aut imminutionem rerum noſtrarum non tam ex *dominio*, quam *libertate* non reſtricta *oeconomica* pendere; puto tamen litem non eſſe magni momenti. Ea propter enim libertas ordinarie non reſtringitur, quia *domini* ſumus, ac res noſtro ſubiecta arbitrio inuenitur.

§. LXXXII.

Conſtituta autem hac libertate, dominium vel retinemus *plenum*, vel *minus plenum*.

§. LXXXIII.

MINVS PLENVM eſt, cum alios in partem dominii admittimus, eoque illud diuidimus. Inde in *directum* & *vtile* diſtinguitur a Doctoribus Barbaris. Neque enim vox *directi* Latinum eſt, ſed Teutonicum. Qui enim hoc dominio pollet, iura habet quædam *die Rechte*, vt vel ſeruitia exigat, vel penſiones, *cetera*: qua de re conſulenda eſt diſſertatio in *Gundlingianis*, *part. XII. obſ. 5.*

§. LXXXIV.

VTRVMQVE variis ſæpe conuentionibus cir-

circumſcribitur : quod in *feudo emphyteuſi* & *ſuperficie* cernitur.

§. LXXV.

Aliquando vero fit, vt non tam *pars dominii* tranſcribatur, quam facultas emolumentum inde percipiendi. Ex quo *ſervitutes* oriuntur.

§. LXXXVI.

SERVITVS inuoluit ius in re aliena vel *perſonæ*, vel *rei*, poſſeſſoribus ad aliquam vtilitatem conceſſum. Vnde ſeruitus *perſonalis* & *realis*.

§. LXXXVII.

PERSONALIS ſpecies *vſusfructus*, *vſus*, *habitatio* vulgo habentur : quamuis plures addi poſſint.

§. LXXXVIII.

VSVSFRVCTVS, VSVS & HABITATIO gradu differunt. Ille *vſum* & *fruitionem* rei fere liberam *ſalua ſubſtantia* continet. Hic ad *neceſſitatem* reſtringitur. Habitatio vero minus vſufructu ius eſt, ac maius habitaculi, ſeu ædium vſu. Quod pactis & lege ciuitatis copioſius determinatur. Nam cum hæc omnia ab arbitrio pendeant, non eſt putandum, vſumfructum iuris Romani *aliaque* inuenta, ita eſſe rationi conſentanea, vt nihil addi, nihil etiam demi poſſit.

§. LXXXIX.

Vti vero vſusfructus verus poteſt conſtitui ; ita dubium non eſt, quin paciſcentium facul-

facultati relictum ſit, velintne etiam in re fungibili inducere *quaſi vſumfructum.* Lex & pacta *entia noua iuridica* efficiunt.

§. XC.

In SERVITVTIBVS REALIBVS, etſi conſiderationem perſonæ, cui ius conceditur, non excludimus; inprimis tamen rem & rem, ac prædia inter ſe contendimus, vt vnum per alterum vel vtile fiat, vel melius.

§. XCI.

Quod non adeo videtur abſonum, ceu nonnulli exiſtimant. Neque enim aliter fieri pacta poſſunt, quam res ſeruiens, &, cui ſeruitur, ſecundum propoſitum paciſcentium, patiuntur.

§. XCII.

Ceterum *ſeruitus realis* vna eſt. *Relationes* vero, ſeu comparationes diuerſæ nouas diſtinctiones, *vrbanas ruſticasque* cum variis nominibus pepererunt: quæ in iure priuato explicatius traduntur.

§. XCIII.

Quemadmodum vero, ob vtilitatem, alteri in re mea permitti facultas poteſt; ita ob ſecuritatem *crediti* ſimile quadantenus ius alteri interdum permittitur. Quod in PIGNORIBVS videre eſt.

§. XCIV.

Iura *perſonarum* reliqua & *obligationes* res noſtras reſpicientes, & in commutationibus obuias,

obuias, poſt tractationem de pretio, luſtrabimus.

§. XCV.

Saltem quid de POSSESSIONE in noſtra diſciplina tenendum, adhuc indicandum reſtat.

§. XCVI.

Et hæc vero, quomodocunque conſideretur, FACTVM eſt, ſed vnde ſæpe *ius* reſultat, vti ex pacto.

§. XCVII.

Intuitu occupationis namque in re nullius, aut ratione traditionis iuſto titulo innitentis, *ius in rem*, vel *in perſonam*, quod adeſt; *firmat*, nonnunquam etiam pro eo *conjecturam* ſuppeditat, *idque probat.* Eſt *enim*, verba clariſſimi *Titii* ſector, *maxime naturale, vt ei, qui hactenus ſibi ius aſſeruit atque actus poſſeſſorios exercuit, tamdiu illud tribuamus, donec alius contrarium probauerit.* Vnde poſſidens re quoque vtitur, certoque ſenſu *ius* indipiſcitur *in rem.*

§. XCVIII.

Probante contrarium altero videndum, ſciueritne *poſſeſſor* verum rei dominum, ius ſuum vrgentem, an ignorauerit?

§. XCIX.

Priori caſu MALÆ FIDEI, *poſteriori* BONÆ FIDEI POSSESSOR emergit.

§. C.

VTERQVE ad reſtitutionem, ſine vllo veri domini detrimento, tam *rei* extantis, quam

con-

conſumtæ, obſtringitur; *bonæ* fidei, quoad factus eſt locupletior; *malæ* fidei vero, quia in dolo eſt, aut ſaltem in culpa, & mora, ab omnimoda reſtitutione liberare ſeſe vix poterit: quanquam non eſt diffitendum, difficile videri probatu, quantum quis factus ſit locupletior.

§. CI.

Barbeyracii philoſophia nullius hic momenti videtur, exiſtimantis, etiam legitimum dominum vindicantem ad ſolvendum bonæ fidei poſſeſſori pretium, quod pro re poſſeſſa dedit, indiſtincte obligari, quia hic *domini perſonam* geſſiſſet.

§. CII.

Repugnat quippe, rem meam emi, aut denuo parari, vt *alienam.* Videat bonæ fidei poſſeſſor, vnde, quod ſibi abeſt, recipiat. Minime enim concludit, bonæ fidei poſſeſſorem neque in dolo, neque in culpa exiſtere. Eſto. Sed nec Domino vero aliquid adtribui doli negligentiæque poteſt; ac plus interea videtur valere, quod eſt in *veritate*, quam in *opinione.* Bonæ fidei poſſeſſor autem tantum *opinione* fuit *dominus*; ceu in diſſertatione *de rei vindicatione cap. II.* §. 24. Aliud foret, ſi rem perituram mihi ſeruaret quiſquam: tum enim & *iuſtitia* & *æquitas* præcipiunt diuerſum. Quod iam *Grotius* obſeruauit *Lib. II. cap. X. numer.* 10.

§. CIII.

Qui non reſtituit, aut reſtituere non vult, pro re nata vel lædit alios, & intolerabiliter immodeſtus eſt, vel pacta violat, & manifeſte euadit iniuſtus.

§. CIV.

Vt vero *pactum vniverſale* ratione huius obligationis cum *Grotio* & *Puffendorfio* ſtatuamus, nec videtur neceſſe, nec fieri poteſt. Fluunt omnia ex ipſius *dominii natura*, quam copioſe conſideravimus.

§. CV.

Exinde tamen vix conſequitur, dominum non obligari ad IMPENSAS *vtiles* quandoque & *neceſſarias* (*) reparandas. Vti enim nemo cum damno alterius locupletior fieri debet; ita illud cum poſſeſſoris, ſiue ſit bonæ fidei, ſiue malæ, iniuria fieri nequit. Neque enim etiam poſtremus ſua videtur donaſſe, ſi rationem naturalem audiamus, & a ciuitatis diſpoſitione *poenali* præſcindamus. *Voluptarias* vt tollat vterque, cum *commode* fieri poteſt, æquum videtur. Neque enim æmulationi, ſeu inuidiæ fauet lex naturæ. Sed fac, dominum & voluptarias impenſas, quæ auferri de cetero poſſunt, retinere cupere; & tum refundat is oportet, quod deeſt ſumtus facienti, non autem, quanti putat *retentor*, aut quanti eius intereſſe credit *poſſeſſor*. Sicuti namque dominus adfirmabit forſitan, *voluptariarum*,

vtpote

vtpote *ſuperuacuarum*, nullam dari, ratione ſui, certam æſtimationem; ita poſſeſſor, auferendi facultate pollens, oſtendere ſine dubio poterit, quanti conſtiterit impenſum ſibi: cuius reparationem non, niſi iniquiſſime, detrectaturus eſſet retentor dominus. De *communione* pro indiuiſo vt cogitetur, etſi non repugnat ratio; pugnat tamen cognita omnibus experientia.

(*) Neceſſarias namque dominus verus haud dubie agnoſcet, nec reſpuere *cum ratione* poterit; quia ſine illis res conſiſtere ac conſeruari non poteſt. *Vtiles* contra repudiare interdum fas erit, cum non eadem omnium ſit vtilitas: hinc *deducendi* facultas abſolute *poſſeſſori* neutiquam videtur tribuenda: niſi *dominus* geſtiat retinere. Tum quippe merito alter flagitabit penſationem, quanti ſunt, quia ſibi quoque nunc exiſtimat vtiles.

CAPVT XXI.

DE CAVSSA ET EFFECTV DOMINII IN STATV LIBERTATIS.

§. I.

Etiam in libertate viuentes domini rerum ſunt, ſi iſtam adducere cauſſam poſſint.

§. II.

Acquirunt illi dominium per OCCVPATIONEM *principalem* & *acceſſoriam*; acquirunt quoque ab alio, tum propter *expreſſam* &

iuſdem voluntatem *verbis*, tum *traditione* diſtinctius declaratam.

§. III.

Occupant igitur RES nullius ac *vacuas*. Vnde quid de Hiſpanorum occupationibus in America, quæ non erat poſſeſſoribus vacua, ſit habendum, facile diiudicatur. Nihil hic religio diuerſitatis generat, veram profiteantur occupantes, an falſam ſectentur iure dominii poſſidentes. Multo minus PAPAE conceſſio, ſeu donatio in conſiderationem venit, de qua *Grotius* egregia in libello *de mari libero* adtulit.

§. IV.

Quemadmodum vero, ceu ſupra monuimus, non requiritur, vt quis manu, quod ſemel occupauit, perpetuo premat; ita in ſtatu naturæ eadem ſequenda deciſio. Vnde non puto, Anglos ſat rationis habuiſſe, quando ab Hiſpanis apud *Thuanum* Lib. LXXII. & *Camdenum* ad a. 1580. quæſiuerunt, *quo iure acceperint, in Americano orbe, tam ingentia terrarum ſpatia, an quia caſulas poſuerint, aut ſignum ibidem collocauerint?* Sufficit, fuiſſe eas partes tunc occupatas, nec dimiſſas. Eadem controuerſia cum *Scotis*, inſulam, *Darien* dictam, occupare conantibus noſtra ætate recruduit. Plura leges in *Gundlingianis Part.* XXXI. *Obſ.* I.

§. V.

§. V.

Idem forte de FERIS BESTIIS dicendum, ſi appenſa *γνωρίσματα* oſtendant, vnde ad quem pertineant claret. Hinc Regem Galliæ accipitrem, de quo *Stiernhœckius*, in Finnlandia captum vindicare a Suecorum Domino potuiſſe exiſtimo, quia dominii retinendi ſignum ac teſtimonium ſecum adtulit. Quæ *Puffendorfius* contra *Grotium* monet, eo pertinent, vt exiſtimet, feras beſtias arctius debuiſſe cuſtodiri. Verum tamen non quæritur, quid fieri potuerit debeatque interdum, ſed, num dominium, ni fiat, altero inuito, in animali, quod dignoſci poteſt, ſtatim amittatur?

§. VI.

In occupatione acceſſoria parum noui occurrit. Eadem in fœtura, theſauro, gemmis, ambra, ſuccino *reliquiſque* obtinent.

§. VII.

Circa ALLVVIONES vero paullo diligentius diſtinguendum. Aut enim fluuius communis, aut vni ſoli proprius territorium vtriusque, aut certi limites ab vna parte finiunt. Si prius, alluuiones agro eius, cui accedunt, ſenſim adcreſcunt. Sin poſterius, nihil adiicietur, quoniam id, quod apponitur, a re noſtra certis limitibus diſcernitur intelligiturque certo, a cuius terris abraſæ ſint adiectæ arenulæ.

 §. VIII.

§. VIII.

Difficilior inſpectio videtur, an, ſi ALVEVM relinquat FLVVIVS FINITOR, *mutetur* quoque *imperii terminus*? *Grotius* exiſtimat, manere hoc caſu alueum imperii terminum, quia flumen non ſit amplius vetus flumen. Quæ ratio minus apparet ſolida. Flumen etenim magis conſiſtit in *aquis*, quam in *alueo.* Igitur dicerem: ab *alueo*, gentium paciſcentium intentione, determinari fines, non a flumine, quod eſt aquarum collectio, cuius intuitu alueus eſt accidens. Sed quid? Si quis vectigal exegiſſet, ſi ius piſcandi ſolus exercuiſſet? Quid-fiet mutato alueo? Et putem, fuiſſe ea IVRA ad flumen in *hoc alueo* adſtricta. Itaque non piſcabitur Princeps in flumine nouum cubile adepto, nec tollet vectigal. Atque alter vero lucrabitur ne quidquam. Nouum enim fluminis cubile inſignem de eiusdem territorio portionem detrahet. Vbi tamen merito excipitur caſus, ſi quis flumen ſuo facto auerteret. Neque enim licitum cenſeri debet, vt alteri auferatur ius quæſitum, quod omnes vident, intelliguntque. Vt in meo fodiam, licet; ac, ſi alterius venas præſcindo, ex accidenti id venit ſane. Aliud dicendum, ſi flumina coniungantur, aut alio canales ducantur, vel ſine alterius intertrimento, vel vt me ipſum meoque ſubditos imperio ab onere liberem. Neque

enim

enim cuiquam exprobrandum, quando ſuorum facilitare commercia ſatagit. Exigat ab aliis, qui flumine, quod alluit eius territorium, ad nauigandum indigent: ac, ſicuti cogi non poſſum, vt per alterius terras iter ſuſcipere ciues meos jubeam; ita nulla neceſſitas apparet, vt navigent iidem in flumine, quo non indigent amplius, ſed, interuentu *noui canalis*, manere in meo poſſunt, ac præteruehi alienum. Quod limitationem interea feret, ſi pacta obſiſtant conuentionesque ſpeciatim propterea initæ. Poteſt enim pacto aliquid detrahi libertati, quæ ceteroquin, gentium iure, mihi non foret neganda.

§. IX.

In INSVLIS natis natantibusque eo res redit, FLVMEN commune ſit, an vni reipublicæ proprium? Priori caſu inſulæ quoque erunt *communes*. MARIS inſulas poſſeſſore vacuas occupat, qui vult & poteſt.

§. X.

De MODO acquirendi DERIVATIVO noua doctrina vix indigemus. Nulla TRADITIONE opus eſt, ſi conſtet de qualitate & finibus rei translatæ. Poteſt Princeps rem ceſſam propria auctoritate occupare, neque cedens aliquid rationis habet, inhibendi poſſeſſionis acquiſitionem ea in re, quam *pacto* in alienum dominium transmiſit. Quidquid in contrarium fit, vel *decoro* adſcribendum, vel

prouidentiæ, ne fines tranſiliuiſſe dicatur poſſeſſionem ſuo arbitratu arripiens. In finibus vero conſtituendis vel *verba* ſequuntur paciſcentes, vel propoſitum contrahentium ex adiunctis pellucens, vel controverſias denique noua pactione finiunt.

§. XI.

De ACCESSIONIBVS INDVSTRIALIBVS, vel FORTVITIS ſicuti rara ſunt themata; ita, ſi quid occurrat, e principiis ſupra cap. XX. §. 38. ſ. conſtitutis deciſio petenda. Id adhuc quæſitu dignum, ad quem pertineat ager, ſeu pagus, *terræ motu*, qualis in Inſubribus aliquando contigit, in alienum territorium translatus? *Vlricus Huberus* domino territorii, cui acceſſit, tranſcribit. Nos meliori iure communem facimus. Aequius quippe eſt, vt ne damnum ſentiat vnus ſolus.

Confer HVBERI *digreſſiones part. I. tit. IV. cap. XXII. p. m.* 352. qui è *recentiori Britanniæ hiſtoria* probat, nequaquam fabulis exemplum propoſitum eſſe accenſendum.

§. XII.

De TESTAMENTIS nihil hic mutamus. Cum enim ſummi Principes ſolo iure naturæ regantur, quo nullum eſt teſtamentorum veſtigium, hinc ex diſpoſitione, quæ argumento cogente non ſubſiſtit, nullum ius, nec vlla obligatio oriri poteſt.

§. XIII.

Vnde, ſi quis ſucceſſione alioque iure ſibi

hi debito excluſus per teſtamentum ſit, eo non obſtante, ius ſuum licite perſequetur. Quod ex hiſtoria *Ludouici Pii* illuſtrari poteſt: vt exempla teſtamentorum a Principibus perperam conditorum a *Grotio* allata ſileamus.

§. XIV.

Ex eo eſt, quod multi Principes alia præſidia circumſpexere, teſtamentis ſuis diffiſi. Vel enim viui regnum ſucceſſori deſtinarunt, vel *populi conſenſum* petierunt, vel potentiores executores delegerunt. Exempla ab illuſtri COCCEIO *in diſſert. de teſtamentis principum* ſuppeditantur. Quibus ex hiſtoria *Ludouici XIII.* addas, quæ is de filiorum regiorum tutela ordinauit. *Parlamentum* enim defuncti Regis teſtamentum, a ſe nondum firmatum, pro inani habuit, ac tutelam Reginæ, cui ea de regni conſuetudine competere adfirmabat, integram reliquit. Lectu hanc in rem digna eſt præfatio Domini *de la* CHATRE *de la minorité de Louis XIV.*

§. XV.

Exempla, quæ in contrarium proſtant, aduerſus *ius certum* nihil operantur.

§. XVI.

Vnde per ſe ſequitur, Principem ne quidem *filium* ob grauem iniuriam EXHAERE-DARE, aut a principatu excludere poſſe. Nam exhæredatio iuris arbitrarii ciuilis eſt. Quod non animaduertit *Grotius.*

§. XVII.

§. XVII.

Similis deciſio ſeruanda, cum princeps de bonis ſuis per vltimam voluntatem, excluſo proximo, aliquid ſtatuit. Quicquid ſucceſſor teſtatoris voluntati conuenienter efficit, benignitati eius adtribuas licet.

§. XVIII.

Aliud ſtatuendum, ſi princeps a PRIVATO HÆRES ſcribatur. Tum enim ei merito conceditur, quod alias homini ſingulari atque extraneo: de quo *diſſertationem meam de Principe e teſtamento ciuium ſuorum hærede* conſulas.

§. XIX.

Aliud quoque, ſi TESTANDI FACVLTAS a POPVLO conceſſa, vt olim in Sueciæ regno. Tum enim teſtamentum non valebit vt teſtamentum, ſed vt *ius* ex *voluntate populi* conceſſum.

§. XX.

VSVCAPIO vt tacita Domini prioris voluntate & derelictione nititur; ita inter gentes negari non debet. Quæ *Petrus Puteanus* contra *Grotium* diſputat, vſucapionis peruerſam ideam, ac ſi in ea pœna ſuperioris ſemper foret præponenda, nec derelinquendi animus intercurreret, abunde produnt: quod peculiari diſputatione *Werlhofius* oſtendit.

§. XXI.

Tantum conſiderari fas eſt, vtrum DERELICTIO reuera ſit præſumenda? Sæpe enim

ius

ius noſtrum conſeruamus, etſi poſſeſſio deficit. Sed docet id tempus bene longum, aut *immemorabile* ad ſummum, quo, qui potuit vindicare, non vindicat olim ſuum. Stulte enim aliquis cogitaret, rem poſt æuum aliena in poteſtate exiſtentem eſſe ſuam adhuc.

§. XXII.

Solius autem TITVLI retentio, ſi alia argumenta obſiſtant, nihil aut parum operatur. Quod in controuerſiis cum *Pontifice* maximo, itemque *Anglorum* cum Rege Galliæ, hujusque cum Hiſpanis aliisque tenendum eſt.

§. XXIII.

In SVCCESSIONIBVS vero AB INTESTATO neque lex ciuilis, neque mos aliquid efficient. Omnia hoc loco e PACTIS populique *antecedente voluntate*, eiusque interpretatione rationabili, aut, ſi hæc deficiat, armis & tranſactione deciduntur.

§. XXIV.

NOVA populi VOLVNTAS nihil efficiet, quamdiu familia regnatrix, quæ ius habet ex prima electione acquiſitum, non eſt exſtincta. Vnde facile eſt ad intelligendum, quam nihil operari potuerit *Caroli II.* Hiſpaniæ Regis teſtamentum, aut etiam procerum voluntas recens, Ducem Andegauenſem Auſtriacis præferentium.

§. XXV.

§. XXV.

De MARIS DOMINIO nihil addimus. Licet in magno Oceano vacuas occupare inſulas, ceu diximus, licet piſcari, vniones extrahere, cetera, cuicunque libet. In mari vero, quod littora iam occupata alluit, eoque in dominio eſt, talis occupandi piſcandique facultas ceſſat. Digna ſunt ſcripta, quæ legantur, Anglos inter & Belgas publicata: de *hale cum captura*, quorum argumenta apud SELDENVM de *mari clauſo*, & GROTIVM de *mari libero*, inueniuntur: vt taceam, quæ, *Carolo II.* in Britannia imperante, denuo ſunt diſputata, referente BECMANNO in *notitia Orbis* e probatiſſimorum auctorum teſtimoniis.

§. XXVI.

De BONIS NAVFRAGORVM notamus, trahi a plerisque ius vindicandi talia ad *ius maritimum*. Sed perperam id puto fieri, ſi appareat dominus, nec *derelictio*, nec *pacta*, nec *mos reciprocus* adſint. MOREM RECIPROCVM nomino, quia prorſus habeo perſuaſum, non tam eum a iure maritimo profluere, ſed opinione, peregrinos quouscunque & ignotos eſſe hoſtes. Vnde Poeta: *Hoſtis eſt, quodcunque natat.*

§. XXVII.

De EFFECTIBVS DOMINII non eſt, quod denuo ſimus ſolliciti. Poſſunt Respublicæ, vel qui eas repræſentant, non nihil de ſuo demere idque pro arbitrio. Vnde diſpoſitiones

nes FEVDALES arbitrariæ ſunt; iique non leuiter decipiuntur, qui IVS FEVDALE vniuerſale & naturale ſomniant.

§. XXVIII.

Poteſt etiam ciuitas una alteri in territorio ac tractu ſuo SERVITVTEM tam *perſonalem*, quam *realem* permittere. Saltem in Germaniæ terris eiusmodi occurrunt obligationes & iura. Nec dubitandum, quin in aliis quoque regnis & principatibus perplura obſeruentur, e. g. vt quis in *territorio* vicini fortalitium habeat; de quo *Engelbrechtum* euoluas *de ſeruitut. iuris publici.*

§. XXIX.

Quæ hic nonnulli de IVRISDICTIONE in alieno territorio ab *Imperatore* conceſſa immiſcent, alio pertinent.

§. XXX.

De POSSESSIONE nihil peculiare monemus. Fundant ſe Reges ac ciuitates in illa, quemadmodum priuati. Sunt bonæ fidei, ſunt malæ fidei poſſeſſores. Reſtituunt ſæpe, quod tenent, ſed reſtituunt fere, quod extat. Quod regulam in præcedenti capite ſtabilitam non tollit, vtpote quæ de iure, non de iuris legitimi remiſſione, aut difficili eiusdem probatione intelligenda eſt.

Capvt XXII.

DE CAVSSIS ET EFFECTV DOMINII IN CIVITATE.

§. I.

Plures plerumque ACQVIRENDI DOMINIVM MODI, quam capite XX. propoſuimus, recenſentur; non autem ſunt PLVRES. *Acceſſiones* omnes, etiam naturales, non ſunt modi acquirendi, ſed acquiſitionum, ceu ſupra monitum, occaſiones.

§ II.

Sed poteſt tamen ciuitas determinare amplius, quid ſit OCCVPARE, & clarius habendi apprehendendique ſignum conſtituere.

§. III.

Ex ea ratione IVSTINIANVS *Trebatii* opinionem de vulneratione feræ repudiauit, & in occupatione rei nullius pleniſſimam capionem introduxit.

§. VI.

Hinc nec *videnti* & animum habendi *verbis ſignisque declarandi* aliquid iuris adtribuit, quam legislationem arbitrariam ICti hodierni plerique pro ipſo naturali iuri venditant.

§. V.

Ex quo fonte *Neruæ* quoque opinio fluxit, feras in ſiluis circumſeptis *vagantes* & piſ-

piſces in ſtagnis exiſtentes non poſſideri contendentis.

§. VI.

Eadem ciuitas determinat, quid ſit pro re MOBILI atque IMMOBILI habendum, quaue ratione ſingulæ ſint *occupandæ*. Secundum hoc ius arbitrarium *Chalcidenſes* præ *Andriis* ACANTHON ciuitatem occupaſſe dicendi eſſent: qua de re *Plutarchus in quæſtionibus Græcis* Tom. II. p. 298. conſulendus. Simpliciori iure naturali vero ad vtrosque ciuitas pertinuiſſet, tum ad *telum* emittentes Andrios, tum curſu ac corpore Acanthon adtingentes Chalcidenſes.

§. VII.

Hinc illi vtique ciuibus poſſunt iniungere, feras vt beſtias arctius cuſtodiant, non, *quia poſſeſſione amiſſa deſinunt, eſſe noſtra*, ſed quia haud facile *dignoſci*, aut denuo vindicari poſſunt. Quam rationem ſane ius *Romanum* habuiſſe conſtat potiſſimum. Nunquam enim iſtud in poſſeſſione ſola dominii vim conſtituit, quod e philoſophia eiusdem iuris conſit, poſſeſſione cicurum animalium amiſſa dominium durare adhuc exiſtimantis.

§. VIII.

Nec dubitandum, quin liceat manſuetis beſtiis SIMILES declarare, quæ ſua natura videntur FERÆ. Ita *pauones*, *columbæ*, quid? quod interdum *apes* apud nos fere manſuetam habere naturam creduntur. Euolant, re-

redeunt, ceu animalia manſueta, rariſſimeque animum redeundi deponunt. Et fac, illum deponere beſtiam alioquin in noſtris regionibus *raram*, immo plane *non obuiam*; ceu ſunt pſittaci, corui Indici, ſimiæ: quis dixerit eam cedere occupanti? inprimis cum facile inueniri dominus poſſit, e cuius cuſtodia peregrina hæc animantia ſunt elapſa.

§. IX.

Id quæſitu non indignum, quænam opinio de captura ferarum iuri naturali ſit conuenientior, Romanorum, an Teutonum? Illi enim vnicuique ex populo venandi libertatem permittebant; hi priuatos ordinarie excludebant; & omne venandi ius in Principes ac Rectores ciuitatum transferebant. Idque Gothi, Franci, Longobardi in more habuere poſitum, ceu *Guilielmus* FORNERIVS *Select.* Lib. II. c. 26. adnotauit. Ego neutram e iure naturali neceſſario putem deriuandam. Non primam ROMANORVM, quia comprehendi vix poteſt, quo iure fundum meum ingredi poſſit quisquam, vt feras ibi vagantes traiiciat capiatque? Ipſi Romani propterea fundi Dominis actionem iniuriarum permiſerunt, intelligentes, nemini fas eſſe, aliquid, me inuito, gerere in re mea. Ratio autem illa: *feras vagari*, nec alicuius adhuc proprias videri, vix ita concludit, vt propterea vnicuique indulgeri ius capiendi debeat. Capi poſſunt: id verum eſt. Sed a

quo?

quo? Et certum habeo, nemini plus iuris competere, quam Domino in fundo ſuo, quod eſt obuium, trucidanti, aut prehendenti. Quidquid alio ſeſe confert, aut auolat, aliorum dominorum præda fiat. Vt omnes ad vnum venandi iure polleant, neceſſe non eſt; ſicuti nec hodie permittitur alii Principi, aut nobili, quam qui eſt terræ dominus, vt quod abit hinc, prehendat traiiciatque iſtic. Igitur admodum falluntur, qui Romanorum iuriſprudentiam hac parte ipſam rationem exiſtimant eſſe cogentem. Potius, quod obſeruatur apud illos, e ſtatu democratico deducas, eiuſque ſimulacrum ſub monarchia quoque conſpicuum agnoſcas, ſcilicet, vt cogitaret populus, in ſua libertate ſe adhuc agere amplius.

§. X.

TEVTONVM vero mos, quo Principes fere venantur ſoli, &, quibus iſti hanc facultatem vel relinquunt, vel iterum indulgent, etſi vtilis ſit publicæ rei, ne ciues venationi magis, quam operis ſuis neceſſariis vacent, ac Imperantes de cetero habeant, vnde loculos ſuos augeant, inprimis cum in homines ſingulares parum inde redundaturum eſſet commodi; non eſt tamen illico inferendum, neceſſario igitur ad PRINCIPES pertinere ius venandi. Merum hic arbitrium cernitur; eoque dicendum ſine circumitione, *occupationem acceſſoriam* iuri ſimpliciori, ma-

P xime

xime congruentem videri; intellige, vt DOMINVS FVNDI occupet, capiatque feras in agris fundiſque ſuis ſibi occurrentes. Saltem nemo fundum intrare meum poteſt, me inſcio atque prohibente; nec itidem aliquid rationis habet quisquam, quare venandi facultatem dubiam reddat mihi, ad quem pertinet RES PRINCIPALIS, id eſt *fundus*.

§. XI.

Idcirco nullus dubito, quin pæne eadem de ALVEO relicto, inuentis IN LITTORE, ALLVVIONE ac THESAVRO ſint repetenda, videlicet, occupationem ex acceſſione hic locum inuenire. Vt ad inventorem aliquid perueniat, iniquum quidem non eſt, imo potius mori gentium congruit, quæ partem dimidiam inuentori, tanquam fortunæ præmium, vniuerſim fere addicunt; de quo more *Hertius* conſulendus in *paroemiis iuris Germanici* paroem. 85. Verum tamen argumenta cogentia deſunt, vt inuentor partem accipiat rei, quæ eſt in fundo meo detecta fortuito. Cur veteres aliter rationes iniuerint? inde forte eſt, quod exiſtimarent, FORTVNAM, huius hominis opera, nonnihil lucri in Dominum ſparſiſſe: quanquam Legislatio Romana de theſauris variauit valde.

§. XII.

Germanorum e contrario conſuetudo ἀδέσποτα in Rempublicam eiusque Principem tranſcribentium, puta, metalla, alluuiones, minera-

neralia, theſauros, *cetera*, populum quidem exonerat, & imperantium fiſcos auget; ſed naturalis interea non eſt, quid? quod multo longius a rationis neceſſaria doctrina recedit, quam Quiritium. Eripit enim ſingularibus rerum poſſeſſoribus occupandi, ſeu acquirendi occaſionem fere omnem.

§. XIII.

De *acceſſionibus artificialibus* aliter philoſophabantur iidem Romani, quam nos ſupra; modos acquirendi cum occaſione acquirendi confundentes. Cumque abunde ea de re tum in genere, tum in ſpecie *cap. XX.* §. 33. ſeq. diſſeruerimus, nihil hoc loco cenſemus adiiciendum.

§. XIV.

Id memorabilius, ciuitatem, ſicut *occupandi*; ita etiam clarius DERIVANDI DOMINII ſignum, præter pactum, ſtatuere ſæpius ſolere.

§. XV.

Hinc TRADITIONEM iſta exigit, formam determinat, ac varia ſolennia, magiſtratus auctoritate haud raro interueniente, addit, quod *mancipatio* & *ceſſio in iure* veterum Romanorum, itemque *reſignatio* iudicialis Germanorum luculenter indicat.

§. XVI.

Res TESTAMENTARIA Quiritium etſi non eſt iuris gentium, vti vulgo placet, tamen ſummus Imperans aut eam admittere, aut

modum teſtandi rurſum aliis legibus circumſcribere, ac tot ſubruere ſolennitates miſeramque diligentiam poteſt.

§. XII.

Fluxerunt iſtæ e Romanæ Reipublicæ oeconomia, qualis apud reliquas Europæas gentes fere ceſſat. Admodum enim difficiliter Romani vetuſtiſſimi permittebant ſuis, vt bona proximis ſubtraherent. Igitur in comitiis calatis volebant eos teſtari, ſpectante & audiente populo vniverſo; *ſin aliter, inter viuos per æs & libram familia erat transferenda; ita tamen vt dominus, quam diu viueret, ſibi eam retineret. Deinde in locum populi & mancipationis, vſu ſic exigente, ſucceſſerunt ſeptem teſtes, imago populi Romani, non alia ratione, quam vt pro agnatis & gentilibus legitime facta Lex tolleretur quoque legitime: per ſe enim cur tantum argumenti?* Verba BYNKERSHOECKII conſulto recitaui, ut qui propterea hanc ſeriem tenuit deſcripſitque, ne quis teſtamenta naturæ, vel rationi tribueret. *Obſeruat. Lib. II. c.* 2.

§. XVIII.

Vnde inſulſos, caue, populos exiſtimes, qui *teſtamentis* plane *non* vtuntur. Optauit *Strykius* olim noſtras, initio *cautelarum teſtamentariarum*, ne forent teſtamenta; conſtatque inter omnes, Germanos olim, Danos, Suecos, Anglo-Saxones caruiſſe iis prorſus. Quare vero Germani teſtamentis locum reliquerint

querint tandem, ſacerdotes potiſſimum fecerunt, homines Italicis moribus, bonis aliorum, ſub publicæ ſalutis atque eccleſiæ inprimis obtentu, inhiantes, vt alias cauſſas arcanas, de quibus celeberrimus THOMASIVS *in fundamentis iuris naturæ*, ſilentio inoluamus. Etiam nos aliquid adnotauimus ratione Danorum in ſingulari obſeruatione ad *cap. II. X. de conſuetudine*; Gundlingianorum *part. VII. n.* 4.

§. XIX.

SVCCESSIONES AB INTESTATO vt ſint, non tam neceſſitatis eſt, quam prudentiæ atque ordinis. Sed ordo vero pro arbitrio variat: nec, vti ſupra monuimus *cap. XX.* §. 66. *ſ.* præſumta coniectura de voluntate defuncti locum inuenit. Quin nec illam in ſucceſſionis ordine Romano poſſe elici laudatus BYNCKERSHOECKIVS *Obſervat. Lib. II. cap.* 1. argute demonſtrauit; *conditionemque cognatorum* fundamentum veteris eſſe ſucceſſionis oſtendit.

§. XX.

Cui vix obeſt, obſervari non parum æquitatis in ſucceſſio is ordine Romanis ac noſtris familiari. Indubium enim habeo, me apologiam ſcripturum omnibus omnium gentium diſpoſitionibus, quam paradoxe etiam videantur. Nec deeſt Africanis, de quibus ſupra, ratio quare fratres liberis ſuis præferant. *Hos* enim eodem ſecum de ſanguine,

 aiunt,

aiunt, ortos: de *liberis* id vix conſtare certo. Qui facundiæ vires experiri cupiunt, inuenient hoc loco argumentum declamationum inſigne.

§. XXI.

In VSVCAPIONE *tempus* determinat ciuitas, ex quo *tacita dominii translatio*, & comparate *derelictio* præſumatur; quod primarium fundamentum vſucapionis habendum. Semper enim illa alteri adiicit, quod eſt amiſſum ab alio. ICti *poenam negligentiæ* fere ſolam depereunt; ipſeque *Petrus Puteanus*, ICtus excellens, in hunc ſcopulum illidit; cum potius vtraque ſit conſideranda cauſſa. Ita namque facile intelligetur, quare iuſtus titulus, ac bona fides requirantur. Neque enim ſine dominii titulo dominium transfertur, ac multo minus doloſe agentibus Legislatores ſuppetias ferunt.

§. XXII.

Quod autem ius Canonicum etiam in longiſſimi temporis præſcriptione, vbi memoria non extat, eadem requiſita bonam fidem perpetuo exigat, non probitati atque æquitati inſigni, ſed arcanis Pontificis acceptum ferendum, lites longiores efficere cupientis, aut errori inſigni, cum fruſtra de titulo, fruſtra de bona fide diſceptetur, poſt tempus memoriam hominum ſuperans.

§. XXIII.

Arbitrium ciuitatis vero, cum debeat eſſe

pru-

prudens, hinc breuius rerum *mobilium*, *quam immobilium* vſucapioni, ob vtilitatem *commerciorum*, tempus eſt præfixum.

§. XXIV.

Nec diu cogitandum, quare ciuitas EFFECTVS dominii ex iuſta cauſſa ſæpe RESTRINGAT, ac quibusdam perſonis, vtpote *pupillis*, *minoribus*, *prodigis* adminiſtratione interdicat, ALIENATIONI rerum certas *conditiones* ac *limites* ponat, res *ſacras*, *religioſas*, *ſanctas*, non alienandas, SVPERSTITIONE haud raro intercurrente, admittat.

§. XXV.

Id conceditur, non male agi ac præcipi, vt obſeruetur ordo in omnibus; eſtque perabſurdum, vt, quod ſacris adhibetur vſibus, ſine ordine iterum ad vſus applicetur promiſcuos. At inane eſt quoque, exiſtimare, Deo aliquod dominium ac ius ſingulare hiſce in rebus competere, iisque diuini ineſſe nonnihil. Simili ratione *coemiteria* a reliquis locis merito ſeiunguntur, ne cadauera homines viuos incommodent; quemadmodum non iniuſte ſanctione poenali muniuntur portæ, ac mœnia, ne quis hoſtili animo tranſiliat ea. Quidquid *pagani* peccarunt, atque etiam nonnulli e Chriſtianis, hoc eſt, quod ſicuti illi DIIS SVPERIS res ſacras, ac DIIS HEROIBVS res *ſanctas*, & comparate *religioſas* DIIS MANIBVS conſecrarunt; ita hi SANCTIS ſuis

dedicent portas, munimenta, & religioſis locis beatos *martyres* ſingulariter patrocinari ſtatuent, locaque ei vſui deſtinata *benedicant*; ſimulatque mortuis prodeſſe credant, in *eccleſiis* ſi fuerint ſepulti.

§. XXVI.

Hoc mirum videri poſſet, quare tot de *uſufructu*, *vſu* aliisque *ſeruitutibus realibus* leges ciuiles extent, cum omnia a diſpoſitione & ordine paciſcentium, aut concedentium pendeant. Sed deſinent mirari, qui perpendunt, de omnibus contractuum ſpeciebus inueniri imperantium leges, & inſtituta: idque iura noſtra de emptione, venditione, locatione ac conductione, *ceteris*, luculenter oſtendunt. Cauſa eius rei, eſt, vt fraudibus ponatur obex, litibusque: ac dubiæ quæſtiones, quoad fieri poteſt, decidantur. Quod in applicatione ad SERVITVTES ſimiliter dicendum; indeque arbitrariis legibus variorum populorum clare hac parte deprehenditur: ita tamen, vt vnusquisque ſua ſectetur principia, ac rationes interdum ſingulares. Sic Romani nullam ſeruitutem admiſerunt, quæ ratione *ſeruientis prædii* in FACIENDO, aut etiam, cum adhuc allium olerent iſti atque cepas, in IVCVNDITATE ac VOLVPTATE conſiſteret. Solam illi vtilitatem eamque *perpetuam* prædii, cui ſeruitur, reſpexerunt. Perpetua vtilitas vero cauſſam poſcit *naturalem*, quæ

ſola

ſola eſt perpetua, non autem *artificialem*, quæ ab operatione DOMINI *prædii ſeruientis* pendeat, variis ex rationibus aliquando deficiente. Doctores plurimi id minus accurate percepere, opinati, a dominio prædii dominantis nihil fore faciendum. Quod non eſt. Hic facit, & vtitur ſeruitute in re aliena: alter vero patitur, aut non facit. Et licet quis etiam a domino prædii ſeruientis poſſit factum ſtipulari; non tamen perpetuæ & nunquam defecturæ vtilitatis rationem, ſeruitutemque realem talis ſtipulatio efficiet. Quid enim? ſi non efficeret, quod volo? quid? ſi non poſſet? Vtilitas certe, quam primario in mente habent ſeruitutem conſtituentes, eaque PERPETVA, talem cauſſam *artificialem* vix admittit, quia deficere poteſt. Ergo naturalem cauſſam flagitabant Quirites, quæ nunquam ceſſat, cum conſequa ſemper ratione agat natura. Nam etſi deficit aliquando ſtillicidium flumenque; non tamen deficiet ſemper; cumque pluit, & ſtillicidium & flumen auerti, vel non auerti poterit. Quod dum non animaduertunt ICti noſtrates, temere iſti reprehendunt ICtos veteres, ipſumque Paulum contra praxin Romanam cauſſam naturalem exegiſſe ſomniant. Idem error illis obrepit, dum ſolius vtilitatis, non iucunditatis gratia ſeruitutes conſtitui a Iuriſconſultis obſeruant adfirmatum; ignari, Romanos ruſticæ rei inpri-

inprimis ac ſimpliciori vitæ deditos de voluptate initio vix cogitaſſe. Quod variauit dein, influente in ciuitatem luxu, recte id adnotante celeberrimo NOODTIO *Probabil. Iuris* Lib. I. c. 3.

§. XXVII.

Sicuti vero de ſeruitutibus leges ciuiles feruntur; ita quoque de DOMINIO VTILI eiusque variis ſpeciebus iura extant emphyteutica, feudalia, eaque diuerſa; quorum neutrum e iure neceſſario naturæ ἁπλῶς prodit; ſed ad hæcce negotia in certum ordinem cogenda ac dilucidandas varias concluſiones excogitata ſunt vniuerſa.

§. XXVIII.

Semper namque vigilare ſolet ac debet ciuitas, ne, quod ad ſalutem generis humani ac iura ciuium pertinet, vllo modo violetur atque in abuſum vertatur. Hinc ea quoque iura POSSESSIONIS ſeuere tuetur, interdicta aliaque remedia contra turbantes ſuppeditat, expulſos ac ſpoliatos ante omnia reſtituit, malæ fidei poſſeſſores prædonesque punit, vindicationes rerum amiſſarum indulget, niſi forte publica commerciorum vtilitas aliud ſuadeat. Quo Hamburgenſium & Lubecenſium mos ac paroemia iuris antiqui Germanici pertinet: *Hand muſs Hand wahren*, de qua *Hertium* euoluas.

§. XXIX.

Ex hoc capite ſeptentrionalium populorum

rum fere omnium vetus conſuetudo, ratione ſubiectorum, poterit defendi, quando NAVFRAGORVM bona vel *occupantibus*, vel *fiſco* addicunt, ne ſui ob difficultatem perſequendi ac probandi dominium inanibus litibus inuoluantur. Melius enim eſt, carere re ſua bona fide, quam tempus perdere & conſumere temere, quod ſupereſt. Vnde vix eſt, vt hac parte Bornholmenſium iuri tam ſæua ſit ſcribenda dica. Intuitu externorum vero nihil rationis ſuppetit, niſi illa Cyclopica, quam præcedenti capite §. 26. indicauimus.

CAPVT XXIII.

DE RERUM PRETIO DOMINII ACCESSORIO, ET INDE PROFLVENTIBVS COMMVTATIONIBVS.

§. I.

RVbrica capitis connexionem indicat. Proprietatem enim inter homines, vti nunc ſunt, *commercium* ſequitur, commercium PRETIVM.

§. II.

Nam etſi mercatura indicium luxuriæ eſt; non poſſumus tamen homines vno halitu immutare ad vnum omnes. Vnde, ex hypotheſi *ſtatus corrupti*, illa non tantum vtilis, ſed

ſed etiam neceſſaria eſt. Ne enim dicam, Deum in variis regionibus diuerſa naſci voluiſſe, vt homines inter ſe iſta diſtribuerent, & alter cum altero, pro re nata, communicaret; etiam conſtat, non omnes exercere agriculturam poſſe; adeoque plurimis pereundum fore, niſi aliunde acciperent, quo ſuſtentarentur. Vnde quidquid in contrarium affertur, merum enthuſiaſmum politicum redolet.

§ III.

COMMERCIVM *commutationem* rerum ponit ac requirit. COMMVTATIO ſine comparatione rerum concipi vix poteſt.

§. IV.

Comparatio rei & rei, quantitatem moralem, hoc eſt, pretium gignit; eoque ſine *relatione* concipi iſtud vix poteſt.

§. V.

Relatio vero non eſt in re, ſed extra rem. Vnde pretium non a re ipſa, ſed *comparatione*, phantaſia ac ratiocinatione noſtra pendet. Quod contra eos obſeruandum, qui pretium virtuale, *quod rebus ex ſuo habitu*, vti clariſſimus *Titius* perquam obſcure loquitur, *ineſt*, admittunt: idque ad non exiſtentia merito refertur: quia tam pueriliter falluntur omnes, quam ſi altitudinem monti, aut humilitatem crederent ineſſe; impingiturque ideo admodum inficete in caput Logices *de relationibus*.

§. VI.

§. VI.

Sed habent tamen homines, cum rem ſuam & alienam comparant, *certas* rationes & *comparandi cauſſas*, quas detegamus neceſſe eſt.

§. VII.

Eæ, quocunque etiam oculos conuertas, 1) *vtilitas* ſunt atque 2) *raritas*.

§. VIII.

VTILITAS cauſſa generalis, ſeu remota videtur, eſtque vel *vera*, vel *imaginaria*.

§. IX.

Nam, quod nullius vſus unquam & vſquam eſt, nullum pretium habet; ſed vix tamen conſequitur, vt, quod maximam vtilitatem præſtat, pretium nanciſcatur. Quem enim valorem habet aqua apud nos? Ergo *imaginaria* ſæpe *vtilitas* primas tenet.

§. X.

RARITAS cauſſa ſpecialis, ſeu proxima eſt, eodemque modo in *veram* & *imaginariam* diſpeſcenda videtur.

§. XI.

Vtraque pretium *generat*, vtraque *intendit*; quemadmodum abundantiæ opinio vel tollit, vel minuit.

§. XII.

Cauſſæ & circumſtantiæ ceteræ, quas adiicit *Puffendorfius* cum D. *Titio*, in raritatem tandem, vtvt ſæpe ſtultam, reſoluuntur. Solus hic *Thomaſius* veritatem manibus tenet;

net, quam binis in diſſertationibus: de *pretio affectionis in res fungibiles non cadente*, & *de cerebrina æquitate l.* 2. *Cod. de reſcindenda venditione* expoſuit.

§. XIII.

Cui non obeſt, ſæpe locum rei ſitæ periculoſum efficere, vt pretium fere nullum eidem conſtituatur, eoque abundantiæ, aut raritati nihil videri aliquando tribuendum. Regero enim, illam viſionem, quod res periculoſo agro locoque ſit ſita, non tam *valori* aliquid detrahere per ſe, quam eius generis rem nullius, aut exiguæ utilitatis eſſe indicare. Inutilium autem rerum magna ſemper inuenitur copia.

§. XIV.

De cetero PRETIVM vel *vulgare* eſt, vel *eminens*.

§. XV.

VVLGARE appellamus, non, quod ceteris rebus, excepta pecunia, ineſt, ſed quod ex comparatione rei & rei, ſub qua *operas* quoque comprehendimus, oritur.

§. XVI.

EMINENS dicimus, quod ex comparatione nummi & rei exſurgit, ac ſuper omnia eminet, quia vniuerſa atque ſingula *nummus* fere dimetitur.

§. XVII.

Nam quia non ſemper, nec facile concurrebat, vt, cum tu haberes, quod ego deſi-

deſiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles: electa materia eſt, cuius publica & perpetua æſtimatio æqualitate quantitatis ſubueniret.

§. XVIII.

Qua cum res exæquare omnes velimus, neceſſe ſane fuit, vt eligeretur materia *rara*, omnibus *accepta*, diuiſioni, cuſtodiæque apta: qualis aurum eſt, argentumque.

§. XIX.

Si qua alia materia a nonnullis gentibus fuit adoptata; tum vero id *neceſſitati* adtribuas, aut *ſtupiditati* vtentium.

Confer *Hertii Prudent. ciuilis* Part. I. p. 113. itemque *Perizonium de ære graui* p. 4. ſeq.

§. XX.

Sed vnde vero argentum & aurum tam grata & accepta mortalibus ſint reddita, alia plane quæſtio eſt. Multa enim rara ſunt; nec tamen tantam æſtimationem habent, quantam dicta metalla. Multa vtiliora ſunt, ſed nec his interea magnum ac præualens conſtituitur, nec conſtitutum eſt pretium; cum e contrario omnia auro argentoque cedant, ita ut communi quodam pacto in iſta conſpiratum eſſe videatur. Quod *poſtremum* etſi *falſum*; nec in materiæ qualitate ſola æſtimationis fundamentum eſt quærendum; variæ tamen & catenatæ concurrunt cauſſæ, quare omnes mirentur auri argentique *ſplendentem* ſpeciem. Saltem effecit ſplendor horum metallo-

tallorum inſignis, ut Reges & Principes orientales illo ſeſe ab inferioribus diſtinguerent: quos cum partim ſui, partim viciniores imitati ſint ſummates ac Domini, & hos iterum ſubiecti, & hic ſenſim, iſthic præcipiti curſu eadem propenſio exorta ſit, affectusque affectum genuerit, luxus irrepſerit, nec ſuis quiſque rebus contentus eſſet, & paullatim interea remotiſſimæ gentes intelligerent, auro argentoque nil rarius videri, vniuerſaque, eorum interuentu, comparari poſſe; hinc commune fere eius rei deſiderium inualuit, perennatque adhuc amplius: quod ſingulari diſſertatione *Gundlingian. part.* XXXI. *n.* 2. copioſius deduxi, quam euoluas, ſi lubet. Quamobrem vix eſt, vt mutatio eius deſiderii ſit ſperanda: adeo uniuerſale eſt, & καθολικόν, vt, niſi Deus interueniat, ac nouas inclinationes maiori hominum parti inſpiret, aut artem commutandi metalla detegat, ſicque alteram naturam mortalium, imitatione effectam, noua viciſſitudine conuertat, æternum id ſane ſit futurum; ac, ſi ceſſaret vero, totius orbis conuerſio eſſet exſpectanda, diuitiarumque ac paupertatis mirifica metamorphoſis.

§ XXI.

Hæc metalla, quæ adeo omnibus placere cœperunt, interea, *ſignari* oportebat, iisque, ſecundum pondus, imponi valor. Idque nemo maiori cum auctoritate, candore

atque ſecuritate facere poſſunt, quam in libertate agentes aliiſque imperantes. Vnde MONETA, & nummus coortus: ac IVS MONETANDI penes eos manſit, qui ad publicam fidem interponendam apti ſunt.

§. XXII.

Reliqui vero ſicut res & res inter ſe comparant ſua; ita nummum quoque cum rebus ſuis componunt: neque aliud occurrit officium, quam quod in conventionibus animaduertitur.

§. XXIII.

In his vero ordinarie liberum eſt, vt quisque rem ſuam *pro lubidine* æſtimet, & alter eiusdem æſtimationem vel approbet & acceptet, vel repudiet: quia pretia, vt demonſtrauimus, *non inſunt rebus.*

§. XXIV.

Vtrobique tamen prudentia opus eſt. Imprudens namque habetur, qui rem ſuam adeo magni facit, nullum vt inveniat emptorem, aut qui rem alterius tanti velit comparare: quemadmodum viciſſim a ſtultitia proxime abeſt, qui ita inepte rerum eſt cupidus, vt, quod alter vult, exſolvat.

§. XXV.

NEVTER tamen *iniuſtus* eſt, neuter prodigus, aut durus: quia in conuentionibus onerofis humanitas & beneficentia exulant.

§. XXVI.

Ex his decantata quæſtio pendet, an in

Q RES

RES FVNGIBILES cadat AFFECTIO? Vtut enim facile reſpondetur, non cadere; tamen noua ſemper quæſtio orietur, ſitne res fungibilis, opinione paciſcentium, nec ne?

§. XXVII.

Sæpe enim vel comparans, vel permutans inepte ratiocinantur. Ita perdite amans *Pamphilus* ſericum *Glycerii* filum maioris æſtimabit, quam diuitias ceteras Croeſi.

§. XXVIII.

In genere omnes concordant, PRETIVM affectionis tum demum locum inuenire, vbi ſingulare quid occurrit. At ſingulare non alieno arbitrio ordinarie determinatur, ſed proprio, etſi ſæpius ſtulto.

§. XXIX.

Vti vero pretium pretio poteſt exæquari & commutari; ita commutatio rerum in commercium venientium reapſe, vt diximus, per pactum fit, quod CONTRACTVM *Puffendorfius* aliique appellant.

§. XXX.

Sed iam ſupra monitum eſt, inter contractum & pactum, ratione firmitatis, nihil obſeruari differentiæ.

§. XXXI.

Vtrinque obligatio eadem eſt: etſi diuerſæ viſiones & conſiderationes diuerſæ diuerſas ſæpe denominationes patiuntur & gignunt.

§. XXXII.

Hoc *ſenſu* non repugnabo, ſi quis *conuen-*

uentiones de rebus & operis in commercium venientibus CONTRACTV, ſeu συναλλάγματα velit appellare, ceteras pacta: ceu *Puffendorfius*: dummodo ne quis reuera diſtinctum animo proponat, vbi tantum obiectum conuentionis variat. *Hobbeſius* ab IMPLEMENTO differentiam arceſſiuit: *pactum* appellitans, quando pr miſſum reſtat perficiendum; *contractum*, cum facta, tranſacta ſunt omnia.

§. XXXIII.

Id maioris vſus eſt, vt ad FINEM agentium & commutantium reſpiciatur, quo tanto curatius obligationum termini intelligantur. Aliud enim propoſitum habeo, quando emo, vendo; aliud, quando loco, conduco, mutuum, commodatumque accipio & do. Animi intentio vero vnicuique conuentioni *eſſentiam*, *formam*, & *naturam* conciliat: ita ut merito contractus ſic *informati* ENTIA vocari INTENTIONALIA poſſint, quæ pro re nata, & diuerſo paciſcentium ſcopo, vtique differunt.

Confer, quæ ſupra *cap. III.* §. 58. *ſeq.* generatim diximus, & ſpeciatim perdoctus *Hertius* in notis ad *Puffendorffium lib. V. cap. II.* §. 5. adnotauit.

§. XXXIV.

Sæpe etenim id agitur, vt DOMINIVM TRANSFERATVR, quemadmodum in *donatione*, *venditione*, *contractu do, vt des*, *permutatione*, *do, vt facias*, *mutuo*, *promutuo*, *dotis datione*, contractibus, quibus *vtile do-*

minium transfertur, iisque qui *aleam*, ſeu nonnihil *caſus & conditionis* continent.

§. XXXV.

Sæpe RES COMMVNICANTVR, vt in communione & ſocietate.

§. XXXVI.

Sæpe POSSESSIO tantum & VSVS conceditur, vt in *commodato*, *locatione*.

§. XXXVII.

Sæpe RERVM CVRA, vel adminiſtratio ſuſcipitur, vt in *depoſito*, *mandato*, *contractu facio*, *vt facias*, *facio vt des*.

§. XXXVIII.

Sæpe CONTRACTIBVS PLENE INITIS maior SECVRITAS conciliatur, vt in *fideiuſſione*, *contractu pignoratitio*.

§. XXXIX.

Quibus obſeruatis facile nunc erit, ſecare memoriæ cauſa contractus omnes in *principales* & *acceſſorios*, illos in *beneficos*, & *oneroſos*, omnes in *vnilaterales* & *bilaterales*, & *ſimplices* & *compoſitos*, qualis eſt *cambium*, aliique, in quibus plura & varia pacta concurrunt.

§. XL.

Ex his autem claret, quam a naturali ſimplicitate receſſerint Romanarum legum conditores.

§. XLI.

Sola enim STIPVLATIO, ſeu verborum nuncupatorum ſolennis conceptio initio commune

mune negotiorum expediendorum inſtrumentum fuiſſe videtur: ceteræ promiſſiones pactorum nomine veniebant.

§. XLII.

Quod cum in communi vitæ vſu non bene procederet, factum eſt, vt ab hoc rigore recederent, & propter *cauſſam*, ſeu *præſtationem* contractus *reales* & *innominatos* admitterent, itemque propter frequentiam, neceſſitatem & commerciorum vtilitatem *contractus conſenſuales* introducerent, quin propter *vnitatem actus*, vel etiam *ſingularem rationem*, PACTIS ADIECTIS & lege confirmatis vim atque ſtabilitatem tribuerent.

§. XLIII.

Hæ cauſſæ arcanæ, de quibus ex parte in *capite de pactis* dictum eſt, cum apud alias gentes ceſſent, concidet nunc STIPVLATIONVM prærogativum ius, concidet *pactorum nudorum & non nudorum*, quæ barbare appellarunt *veſtita*, diſtinctio.

§. XLIV.

Nec opus erit, vt contractus NOMINATOS & INNOMINATOS ſeparemus: neque enim HI aliud ſunt, quam *pacta*, quæ *præſtatio* ab vtraque parte comitatur.

§. XLV.

Nominatos autem, vt in *conſenſuales*, *reales*, *verbales*, *litterales* diſpeſcamus, itidem neceſſe non habemus, quia omnia pacta ſerio inita valide obligant: vtut vulgo pactum

de mutuo & commodato ab ipſo mutuo & commodato diſtinguunt. Sufficit, eandem hic obligationem inueniri, & ipſam rei præſtationem *ad implementum* contractus merito referri.

§. XLVI.

LITTERALES, vt litterales, ob id, quod chirographo continetur, atque in illo promittitur, obligant; multique ſunt viri cordati, qui ne nunc quidem *e litteris* vim obligandi arceſſunt, ſed *mutuo præſumto*, quod iſtæ arguunt: de quo in ſequentibus plura.

§. XLVII.

CONTRACTVS BONÆ FIDEI & STRICTI IVRIS non tam iuris ſunt neceſſarii, quam Romani arbitrarii. Res enim tota eo redit, an aliquid, de quo diſertis verbis nihil eſt expreſſum, ob æquitatem, larga iudicis interpretatione, poſſit ſuppleri? fide bona? in omnibus pactionibus? an tantum in quibusdam? videlicet, quos nulla circumſcribunt ſolennia verba, nec litteræ in arctum cogunt, nec natura contractus certis limitibus concludit? In his quippe Romani nullum æquiori & laxiori expoſitioni iudicantium ac de facto cognoſcentium locum relinquebant, vbi vel ipſæ partes paciſcentes cuncta expreſſe definiuere, vel definire ſtatuerunt, vel ob ideam negotii, quod eſt æquius, melius, liberalius, excluſerunt; cum viciſſim ratio ſuadeat, vt nunquam negligatur interpretatio, æquitate ſub-

ſubnixa, ſi quid omiſſum, aut ab altera parte, ſecundum legem officii, minime præſtitum. Hinc peregrina Teutonibus tota Quiritium doctrina de b. f. & ſtricti iuris contractibus ſemper eſt viſa, iudices formulæ includentium, metus interuenerit, an fraus obliuio obrepſerit ſtipulantibus, an minus? in mora ſoluendi fuerit debitor, an non?

§. XLVIII.

QVASI CONTRACTVS vero Romanorum eſſe commentum inde elucet, quod ne vnus inueniatur, qui vel non ex vero conſenſu, vel collata aliqua vtilitate reſultet. Vnde res omnis partim ex præcepto de non lædendis aliis, partim ex altero, de non violandis promiſſis tum expreſſis, tum tacitis videtur diiudicanda. Ipſum quippe factum, aut verba intercurrentia ex æquo fluentem ſenſum, indiciumque dabunt, ad quod præſtandum ſit obſtrictus, qui fecit, quodue ius habeat viciſſim. Quod exemplis *tutelæ*, *negotiorum geſtionis*, *promutui*, *aditionis hæreditatis*, cetera, facile declaratur.

§. XLIX.

Quocirca relinquitur, vt omnia *pacta*, ſiue *contractus*, abſolute, conſiderati, ſint ſenſu iuris naturæ CONSENSVALES, hoc eſt, a conſenſu ſerio & bene ſignificato permanantes.

§. L.

Quod ſane demonſtrari copioſius poſſet, niſi doctiſſimus *Brenneyſen* de *inutilibus pactorum*

torum & ſtipulationum diuiſionibus contra ICtos celeberrimos id iam copioſiſſime præſtitiſſet.

§. L I.

Hinc potius iuris ſtudioſis inculcamus, vt, quid in actibus rerum eueniat, qui *finis*, quæ *intentio* contrahentium, probe circumſpiciant, ac contractus cuiusque γένεσιν & generationem ante oculos perpetuo habeant.

§. L I I.

Ad quem finem obtinendum adiiciamus, exempla, initium capientes a contractibus dominii tranſlationem requirentibus, inque primis a PERMVTATIONE, utpote antiquiſſimo contractu.

§. L I I I.

Eſt hic contrahentium finis, vt vnius rei dominium transferatur in alterum pro dominio rei æqualis, vel ſimili iure, quo indigere ſe putat vterque.

§. L I V.

Non eſt neceſſe, vt indicetur ſingulariter, res in commercio exiſtentes requiri, corporales ſint, an incorporales, mobiles, an immobiles, ſpecies eiusdem, an diuerſi generis. Per ſe id intelligitur.

§. L V.

Æqualitas vero ex opinione paciſcentium pendet; nec tam traditio ad transferendum dominium requiritur, quam conſenſus mutuus,

tuus; quamuis in *executione contractus* illa utique accedere debeat.

§. LVI.

Qui prior tranſtulit, ſub conditione ſuum dediſſe cenſendus eſt, vt alter ſuum præſtet viciſſim. Hinc ius exigendi competit danti, non autem ius pœnitendi: quod indulſere Romani, exiſtimantes, contractum hunc innominatum eſſe imperfectum: contractum vero imperfectum nondum eſſe contractum: hinc ab eo merito recedi. Quod rationali iuri conueniens non eſt: etiam, cum ſpecies certa caſu amiſſa ab vno. Iure enim is ab altero exigit rem promiſſam ex pacto.

§. LVII.

Permutationi EMPTIO iungitur, in qua de *merce*, cum dominio ſimiliue iure, pro *certa pecunia*, habenda paciſcimur. TRADITIO non ad *perfectionem*, ſed *executionem* contractus pertinet. Vnde eadem officia venditoris & emptoris ſunt, quæ permutantium. Re nondum tradita, CASVM emptor ſentit: ſed periculum pretii non viciſſim venditor ſuſtinet. Cur? quia hic quantitas nunquam interitura debetur. Quod in permutatione *certarum ſpecierum* ſecus eſt. Circa PACTA *protimiſeos*, *antichretica*, *de retrouendendo*, *commiſſoria*, *ad dictiones in diem*, emptioni venditioni adiectas, vix ſubſiſtimus. Generalis regula eſt, *vt fides ſeruetur.* Et poſſunt vero omnibus contractibus adiici nonnullæ pactio-

ctiones. Quis vero verborum diverſas figuras hac in diſciplina iudicabit expendendas? Quod & de EMENDI MODIS conditionibusque adiectis tenendum eſt: quæ in lectionibus iuris priuati curatius excutiuntur. EVICTIONIS præſtatio, vti ex natura contractuum, vbi res accipientis fieri debet, profluit; ita in præſenti contractu ex eodem principio merito deducitur. LÆSIO vero adtenditur nulla, niſi quæ venit ex dolo. Comparatio *rei* & *pecuniæ* arbitraria eſt, & ſæpe phantaſtica; cumque imaginaria æſtimatione certa deſtituantur; hinc læſio quoque vltra alterum tantum vaneſcit, quia hic *tantum* non adeſt, ac multo minus *alterum tantum*.

§. LVIII.

Sed pergimus ad MVTVVM. Qui *mutuum* accipit, *indiget* re fungibili: hac vult non tantum vti, ſed ſæpe abuti, eamque conſumere. Abuſus & conſumtio translationem dominii exigunt. Hæc autem non tam ad *perfectionem*, quam *executionem* contractus pertinet. Neuter vero rem donare vult, neuter donari credit. Vbi nulla donatio, ibi reſtitutio eſt neceſſaria. Reſtitutio in ſpecie fieri ordinarie nequit. Ergo ſufficit, in eadem quantitate ac qualitate determinato die reſtitui. Non hic præſtatur culpa, quia res mea eſt. Rem meam pro lubidine perdo. Vbi dominium penes me eſt, ibi quoque *caſum* fero, *cetera*. Vt autem VSVRA exigatur,

gatur, nec iuſtitiæ repugnat, nec charitati, niſi etiam lucra omnia atque vtilitates ex re noſtra percipiendas eidem repugnare exiſtimes.

Commendetur tractatus egregius *GERHARDI* NOODT de *foenore & vſuris.*

§. LIX.

SOLVTIO INDEBITI *promutuum* eſt. Eadem enim ratio poſtulat, vt, quod vnus accepit, nec alter donauit, reddatur. Non hic *præſumtione*, non etiam *fictione*, *aut quaſi contractu* opus eſt.

§. LX.

DONATIONEM *Puffendorfius* forte ex ea cauſſa omiſit, quia terminos pacti vix egreditur. Duntaxat finis conſiderari meretur, cuius fundamentum *liberalitas* eſt, quæ etiam illa in ſpecie, quam *remuneratoriam* vocant, conſpicitur. Nec intereſt, dominium, rei in patrimonio exiſtentis, an ius ſimile transferatur, vel remittatur. An autem acceptatio requiratur? Domitii ſtulta baſiantis quæſtio eſt.

§. LXI.

Inter contractus COMMVNICATORIOS *ſocietas* eminent & *communio.*

§. LXII.

PRIORIS finis eſt, vt *res*, vel *operæ* conferantur, & lucrum *negotioſum* damnumque *fortuitum* inter conferentes diuidatur. Etſi vero æqualitas hic iterum ab opinione paciſcen-

criſcentium dependet; tamen repugnat, vt *vnus damnum* ferat, alter ſolus *lucrum*, quia, cum ſocietatem inimus, *non donamus*. In ceteris conuentione videtur ſtandum, ſi qua lex diuidendo damno, & communicando lucro ſit dicta; ſi non, tum vero, vt pro rata, tam ratione rerum, quam operarum diſtributio fiat, æquitas præcipit. Vnius vt diſſenſu diſtrahatur ſocietas, ex iure cogente minime fluit.

§. LXIII.

In COMMVNIONE vero, quæ ſine ſpeciali ſocietatis contractu accidit, iuris eſt omnino, vt, quod donatum non eſt, nobiſcum communicetur & diuidatur tam in *re*, quam *fructibus*; &, ſi quid impenſum, pro rata rependatur. Non hic indigemus *quaſi contractu*, quia, qui in communionem, ſeu commune dominium incidunt, aliter velle, ſalua iuſtitia, nequeunt.

§. LXIV.

In pactionibus, vbi non tam dominium, quam *poſſeſſio*, & *vſus* conceditur, COMMODATVM & LOCATIONEM conſiderabimus.

§. LXV.

ILLVD, ſicuti mutuum, indigentiam rei, ratione noſtri, præponit, ſed qua tantum vti, non abuti, *gratis* cupimus. Hinc res eadem in ſpecie reſtituenda. In executione huius contractus non transfertur *dominium*, ſed *poſſeſſio*. Hinc exacta diligentia requiritur,

ritur, vtut comparate: quia, vt accepimus, reſtituere rem commodatam debemus. Tempus reſtituendi adiectum, ſecundum ius naturæ merum, nihil hic mutationis inducit. Vnde PRECARIVM & COMMODATVM vix diſtinguuntur eo modo.

§. LXVI.

LOCATIO vero & CONDVCTIO eo fine initur, vt alicui vſus *rei*, aut *opera* pro *mercede* pecuniaria addicatur. Traditio REI promiſſæ ad executionem pertinet. In commodato indigentia vnius obſeruatur, hic fere reciproca. Ergo, qui *vſum* rei *vult concedere*, rem habilem debet præſtare, impenſas neceſſarias tolerare, damnum, quod dolo, vel ſua culpa datum eſt, reſarcire. *Conductor* vero, quia tantum vſum rei accepit, ea debita ratione vtitur, finito tempore reddit, damna data reſarcit. OPERARVM locator, vt operas ſuas addicit conductori; ita fideliter exhibeat: alias id perſoluat, quod intereſt. *Conductor* viciſſim mercedem, vt placuit, pendat, ſiue vſus ſit opera alterius, ſiue, ſuo interueniente facto, vſus non ſit. De *conductore & locatore* OPERIS peculiares obſeruationes neceſſariæ non ſunt. Optandum potius foret, ne voces iſtæ vnquam eſſent a Juriſconſultis adhibitæ. Qui enim locator eſt operarum, appellatur locator operis. Sed harum vo-

vocum promiſcuus vſus facile turbare diſcentes poteſt.

§. LXVII.

In contractibus, quibus *rerum cura*, vel *adminiſtratio* ſuſcipitur, *depoſitum*, *mandatum*, *negotiorum geſtio* inprimis inueniuntur.

§. LXVIII.

Depositi finis eſt, vt res apud alium collocata & gratis cuſtodita deponentis voluntate reſtituatur. Non hic poſtulatur *cuſtodia*, aut *diligentia ſpecialis*, non transfertur dominium, ſed cum talis collocatio ob commoditatem, vel neceſſitatem fiat, cauſſa ceſſante, repoſcitur. Vnde *deponens* merito omnem diligentiam adhibet, ne occaſione rei meæ damnum quis ſentiat. A *depoſitario* vero, vti generalis cuſtodiæ officium flagitatur; ita diligentia exacta, quam nemo initio exiget, ex poſtfacto ſane exigi non poteſt.

§. LXIX.

Mandatvm vero non tantum amicitiam & fiduciam peculiarem; verum etiam ſpecialis operæ petitionem & promiſſionem, vtut ad certam menſuram aliquando, includit. Neque enim *mandatarius*, cui negotia mea *commendo*, veluti lignum, aut piſcis conſiderandus eſt. Dum autem recipit, id ſane, quod ab ipſo peto, aut verbis, aut facto promittit. Vnde eſt, quod, morte mandatarii, credatur mandatum exſtinctum,

ctum, quia perſonæ induſtria electa eſt. Hinc quoque *culpæ leuiſſimæ* præſtatio exigitur, quia culpa exactæ & ſpecialis operæ, ſigillatim promiſſæ defectum indicat. Cumque mandantis & hæredum propoſitum, indigentia atque vtilitas inueniantur diverſa, conſequitur, vt *mandantis obitu* aliam faciem nanciſcantur commiſſa negotia, quæ alioquin *in puncto* conſiſtunt. Quocirca etiam fines mandati tranſiliri nequeunt, ſed excedens ad id, quod intereſt, obligatur. Tantum quæritur, quis mandati fines excedat? Qui per *æquale* implet, terminos mandati vix migrat. Nec dubitandum, quin mandatum *proprie* mandantis gratia ſuſcipiatur, inutilisque *Triboniani* diuiſio ſit in *principio* & §. 1. *Inſt.* hoc *tit.*

§. LXX.

Quod in mandato operatur conſenſus ſæpe expreſſus, id in abſentis amici NEGOTIORVM GESTIONE efficit obligatio connata. Non hic *quaſi contractus*, aut *fictio* neceſſaria eſt, non a parte *geſtoris*, quia iure naturæ omnes obligati ſunt, ne alterius rebus damnum inferatur, non a parte *domini*, quia cum detrimento alterius ſuam nemo promouere vtilitatem debet. Ergo conferenda *vtilitas* cum ſingulari induſtria, e *facto* gerentis colligitur neceſſario; atque e collata *vtilitate* vero penſationis *neceſſitas*, ſeu *obligatio* infertur; ſi illa extet adhuc. Sed quid?

quid? ſi euanuerit caſu? Et tum diſputabitur, qui ferat damnum? vtrum geſtor, an is, cuius negotia geſta ſunt? Id verum, nemini beneficium ſuum eſſe debere damnoſum; at nemini quoque obtrudenda eſt amicitia cum detrimento. Quid enim nemo empturus ſit alterius beneficium? Igitur rectius forte dicitur, vniuſcuiusque verecundiæ relinquendum videri, quid hac parte cenſeat præſtandum. Confer quæ ad *ff. h. t.* §. 7. *ſeq.* adnotauimus.

§. LXXI.

In contractibus *acceſſoriis* & qui *ſecuritatis cauſſa* ineuntur, PIGNORATITIVS elucent & FIDEIVSSIO.

§. LXXII.

In ILLO non ſoli credimus perſonæ, ſed fundis, agris, arboribus, colliculis, ædificiis, cetera, quousque creditum ſit exſolutum. Inde ordinarie pignora tanti, aut maioris eſſe ſolent, ac ipſum debitum. Neque hic attenditur, ſit ne res mobilis, nec ne, frugifera, an ſterilis? Quando rem pugno quaſi ſeruo & teneo, PIGNORIS, quando vero ea duntaxat per conuentionem obligatur, aut *ius in rem* promittitur, HYPOTHECÆ nomen adhibetur. Pignus in mobilibus maioris ſecuritatis eſt. quid? quod etiam interdum in immobilibus. Germani etiam *dominium temporarium* in pignore tranſtulerunt. Quidam *legem commiſſoriam* adiicien-

ciendam aliquando credunt, quæ *naturaliter iniqua* non eſt. Tribuat ſibi, qui tale pactum init, nec temporis menſuram, quo reluere oppignoratum poteſt, bene determinat.

§. LXXIII.

In FIDEIVSSIONE alterius hominis fides attenditur, eaque alienæ obligationi accedit. Accedit vel DEBITORE *ſciente*, vel *ignorante*. Quod reſpectu eius, qui ſecuritatem intendit, eodem recidit. Vti igitur obligatio *principalis*; ita ſeſe habet *acceſſoria*: vtut propter ſecuritatem a CREDITORE animo intentam arctior eſſe poſſit. De CONSTITVTO, quod fit per pactum, tum a me, tum ab alio infra dicetur. EXPROMISSIO ad modos tollendi obligationes pertinet quadantenus.

§. LXXIV.

Contractus ALEAM continentes peculiarem claſſem vix conſtituunt: continent illi CONDITIONEM vel *expreſſam*, vel *tacitam*. Ea impleta *ius* oritur ab vna, *obligatio* ab altera parte.

§. LXXV.

Vnde fit, vt eiuſmodi pactiones interdum DONATIONI SVB CONDITIONE ſimiles fiant, veluti, *alea*, itemque *aſſecurationes*, *ſponſiones*; interdum EMPTIONI, quam cum addito emptionem ſpei appellant, vti eſt *lla fortunæ*, ac certo modo *lotaria*, interdum

VENDITIONI CONDITIONALI, vt *auctio.* In hiſce negotiis omnibus bona fide agendum eſt: quæ tamen in SPONSIONIBVS non labaſcit, etſi rem certo ſcio, clareque me, quando ſpondeo, ſcire dico: vtut aliter vulgo. Imputet alter ſibi, quod mecum ſponſione contendat, eoque aut temeritatis ſuæ pœnas luat, aut proprio motu emungatur pecunia. Quæ hic Doctores de iniuſtitia atque illicito commercii negotio, quale ſit quoque ASSECVRATIO, inſpergunt, parum ſolida ſunt. Dependent naturaliter omnia ab arbitrio paciſcentium: *periculique* conſideratio ſic contrahentes excuſat.

§. LXXVI.

Contractus NOMINE SPECIALI CARENTES propterea omittimus, quia vel ex doctrina generali de pactis diiudicantur, vel permutationes ſunt, vel denique in alios contractus, certis pactis vallatos, tranſeunt, vti CONTRACTVS ÆSTIMATORIVS, qui, pro diuerſa conſideratione & paciſcentium conuentione, vel emptio eſt, & venditio, vel locatio & conductio, vel mandatum. Quæ de peculiari eiusdem natura in medium feruntur, rigidum examen vix ſuſtinent, ne quidem ſecundum ius Romanum. Nam nec in digeſtis agitur de contractu æſtimatorio, ſed *aeſtimatoria*, nempe, vt ſcirent conquerentes, qua actionis formula ſibi eſſet vtendum. Vulgare thema,

ma, quod adducunt Doctores, quoue conantur euincere, dari *contractum æſtimatorium* peculiarem, emptionem ac venditionem repræſentat, cum pactione de redhibendo, ni placeat res empta, aut vendi iterum nequeat, pro arbitrio emptoris.

§. LXXVII.

Ex quo perſpicuum fit, poſſe nos de contractibus & pactis ideas maxime claras & adæquatas acquirere, quia vel ipſi ea inimus atque efficimus, vel quomodo fiant ac generentur, accurate tenemus.

§. LXXVIII.

Ab hac obſeruatione difficilis de CVLPARVM præſtatione tractatio pendet.

§. LXXIX.

Neque enim, vti recte arguit illuſtris *Thomaſius* in diſſertatione eleganti, quam de *culparum præſtatione* emiſit, generalis hic ſuppeditari regula poteſt, quia finis contrahentium diuerſimodus variat.

§. LXXX.

CVLPA quippe omiſſio diligentiæ eſt. Diligentia *gradus* habet ſuos, igitur & negligentia. Vnde videndum ante omnia, ad quem diligentiæ gradum alterum voluerim obligare: quod ex propoſito paciſcentium ſane elucet clare.

§. LXXXI.

Vnde regulæ, quæ de præſtatione culparum vulgo circumferuntur, nullius ferme

R 2 vſus

vſus ſunt; quia vnicuique tot vulgo *exceptiones* adiiciuntur, vt regula pene deſtruatur.

§. LXXXII.

Sed exiſtimat tamen celeberrimus *Barbeyracius*, vna hac regula comprehendi poſſe exempla omnia: *Semper ita eſſe curandam rem alienam, vti curamus noſtram.*

§. LXXXIII.

Ego vero, etſi eam normam non exiſtimo iniquam, ſi ciuitas ratam habeat; tamen, cum ſine hac conditione conſideratur, repugnat ſane, plus a nobis exigi, quam initio exegit contrahens. Verum equidem eſt, in depoſito v. g. factum obſeruari recipientis, qui, niſi bene curare rem depoſitam voluiſſet, eius cuſtodiam repudiare potuiſſet: at quis interea ex receptione ſtatim inferet, promitti cuſtodiam ſingularem? Repugnat vitæ vſus. Patior deponi, aut in domo mea collocari res *Titii*; ergo ad peculiarem diligentiam me obligaui. Scilicet. Satis humanus ſum, ſi deponi atque in tuto collocari res alterius permittam. Vt ſine noua promiſſione peculiarem diligentiam adhibeam, non eſt neceſſe: ipſemet curet deponens. Si nequeat facere, alii id oneris imponat; imponat mihi, ſed exquirat conſenſum clariorem.

§. LXXXIV.

Quamobrem relinquitur, vt animus contrahentium ſingulis in pactionibus ſpectari in-

inprimis debeat : quod Iuriſconſulti veteres obſeruarunt *aliquando.*

§. LXXXV.

Vti vero doctrina de contrahendis obligationibus, ſi actus & negotia hominum curate conſiderentur, facile intelliguntur; ita MODI TOLLENDARVM OBLIGATIONVM ſine magno labore cognoſcuntur.

§. LXXXVI.

Ergo teneas, omnes illos modos *liberationem* ab obligatione & debito inuoluere.

§. LXXXVII.

LIBERATIO eſt vel *plena*, vel *minus plena.*

§. LXXXVIII.

PLENA ubi tota perimitur obligatio, ut nec *vetus* ſuperſit, nec *noua* oriatur : eſtque vel *vera*, vel *quaſi.*

§. LXXXIX.

VERA ſatisfactionem reapſe euenientem præponit. SATISFACTIO vel *proprio* facto contingit, vel *alieno*, vel *vtroque.*

§. XC.

PROPRIO, cum ipſe *ſoluo.* ALIENO, cum tertius, quod debeo, ſuſcipit, & *expromittit*, aut *præſtat*, vel interueniente *mandato* meo, vel *ſine eo*, me *ſciente*, aut *ignorante*, *ſponte*, vel *coacte.* VTROQVE, cum debitor & creditor mutuo conſenſu a pactione *gratis* recedunt, vel *dato* aliquo, aut *retento tranſigunt.* Vnde TRANSACTIO nunquam fieri dicitur gratis : nec ſimplex, ſed *modificata*

pactio eſt, errantque vehementer, qui, quoniam *pacto* perfici tranſactionem vident, eam ſingulariter conſiderandam negant. Semper enim paciſcentium propoſitum ante oculos habendum, quod variis modis informat conuentiones.

§. XCI.

SOLVERE ſignificat præſtare id, quod eſt conuentum, tum ratione quantitatis, tum qualitatis.

§. XCII.

Hinc *aliud* pro *alio* non ſoluitur, hinc integra *quantitas*, hinc *moneta*, aut *ſpecies* aliquando promiſſa præſtanda.

§. XCIII.

Præſtatione debita peracta *tollitur* OBLIGATIO tum *principalis*, tum *acceſſoria*, fideiuſſio puta, pignus.

§. XCIV.

Sed æquum vero eſt, vt pro *quaſi* præſtatione habeatur, ſi, quod debeo, OFFERO, OBSIGNO, DEPONO, quando acceptare detrectat creditor.

§. XCV.

In hoc enim QVASI LIBERATIO conſiſtit, vt, etſi nulla præſtatio naturalis obſeruatur, per *ratiocinationem* tamen intelligitur, vel ex *verbis ſignisque* colligitur, vel propter *conuentionis naturam* exigi amplius nequeat.

§. XCVI.

Ad PRIOREM modum *compenſatio* & *confuſio*

fuſio pertinent, ad SECVNDVM *remiſſio*, ad POSTREMVM, cum ſpecies debita *fato interit*, aut obligatio alterius *perfidia* abrumpitur, aut *tempus* exſpirauit, aut *ſtatus*, in quo obligatio fundabatur, mutatus apparet, aut debitor non amplius *exiſtit*, ſed *exceſſit*.

§. XCVII.

COMPENSARE ſignificat debitum & creditum perſpicue æquale inter ſe vltro citroque contribuere.

§. XCVIII.

Hinc, vbi *corpora* debentur, compenſatio non admittitur, hinc *liquidum* cum *illiquido* contribuitur, cetera.

§. XCIX.

CONFVNDI obligatio dicitur, quoties debitor creditori, vel creditor debitori ſuccedit, vel vnus vtrique. In eandem enim perſonam, debitoris obligatione & creditoris iure concurrente, exſtinguitur certe totius conuentionis antecedentis vita, cum repugnet, aliquem ſibi ipſi debere, aut ſui ipſius creditorem exiſtere. Idem in ſeruitutibus obſeruatur, cum aliquis vtriusque prædii dominus efficitur.

§. C.

REMITTERE ſignificat verbis ſolutionem, vel ſigno factoque *acceptam* ferre.

§. CI.

In ACCEPTILATIONE vero *verba* neutiquam requiruntur ſolennia, vtut clara; *ſigna*

itidem non longe quæſita, ſed proxima, e quibus alterius concludi liberalitas poteſt; quale eſt, cum chirographum debitori reddo, quod meum fuit medium probandi, inprimis ſi vnum tantum chirographum penes me habui. Sin plura, quæritur certe, an, vno chirographo reddito & altero retento, debitum cenſeatur remiſſum? Quibusdam in dubio affirmata ſententia placet, ne redditio plane otioſa ſit, & ſuperuacua: aliis contra nitentibus; eoque magis *facti* videtur, quam *iuris* quæſtio, in vtramque partem ventilari apta.

§. CII.

Minvs plena liberatio mihi appellatur, vbi ita obligatio tollitur, vt eam ſublatam excipiat & ſubſequatur alia, idque creditore, vel debitore eodem manente, vel vtroque, vel alterutro *mutato.*

§. CIII.

Prior ſpecies novatio ſtricte ſic dicta dicitur, quæ *commutatio* eſt conuentionis cum conuentione e. g. depoſiti cum mutuo. *Poſterior* delegatio, vel expromiſſio certo ſenſu. Nam ratione debitoris primi delegantis adhibetur vocabulum delegationis, ratione ſecundi delegati expromiſſionis. Expromiſſor vero ſeſe noue *obligat*, & delegantem *liberat.*

§. CIV.

An autem cessio a delegatione, ſecundum

dum ius naturale, in effectu diſcrepet, litigatur. *Hertius* aliique *Puffendorfium* reprehendunt, quod notiſſimos *delegationis* ac *ceſſionis* terminos confuderit: *Titius* contra *Puffendorfium* defendit, egoque cum illo. Quod enim vulgo aiunt, cedentem retinere ius ſuum, & debitorem ceſſum manere adhuc obligatum cedenti, nihil eſt. Neque enim CESSIO tantum eſt *mandatum*, ſed, ſecundum VTRIVSQVE, id eſt, *cedentis* & *ceſſionarii* propoſitum ſerium, *debiti* in alterum *tranſlatio*, & comparate *reſignatio*. Ex quo infertur merito, cedentem, ſi viri boni elogium tueri cupiat, neutiquam a debitore ceſſo exigere nomen poſſe, quod iam in ceſſionarium tranſtulit. Hinc fallit Romani iuris philoſophia, *cedenti* facultatem exigendi debitum adhuc indulgentis. Quomodo enim exigat, quod a ſe abalienauit? Dices: debitor ceſſus nondum reſciuit ceſſionem factam. Regero: ſat eſſe, ſcire id cedentem; valdeque abſonum videtur, interdicere ceſſo, ne ſoluat cedenti, quando ceſſionis eſt conſcius; & interea tamen permittere creditori cedenti, vt exigat debitum, cuius iam ceſſionarius factus eſt particeps. Ergo DELEGATIO reuera ceſſio eſt. Cedo meum debitorem creditori meo. Si quid intereſt, iſtud ſane ad accidentaria pertinet. *Delegatus* namque ſcit atque expreſſe conſentit, ſe alterius debitorem futurum. *Delegatarius* ve-

ro

ro hunc debitorem *pro me* acceptat, atque *delegantem* e nexu dimittit. Ad quod etiam *ceſſionarius* tenetur *de iure*: immo nec *cedens* amplius incommodare, aut vrgere debitorem *ceſſum* poteſt. Idea mandati nihil ad rem facit; cum ceſſio ſit plus, quam mandatum.

§. CV.

Assignatio e contrario non tam modus tollendi obligationem videtur, quam *ſolutionis*, vel ſatisfactionis *prodromus*, ſeu *mandatum* de ſoluendo & accipiendo. Vnde in mora exigendi exiſtens de periculo nonnunquam reſpondet.

§. CVI.

Quod vero hæredes defuncti e contractibus *defunctorum* obſtringantur, e conſenſu nouo eſt: vtut ſæpe tacito. Qui enim res defuncti accipit, is in eius ſeſe locum ſuccedere facto demonſtrat ſuo, nec interceſſio facto contraria tantillum operatur.

Capvt XXIV.

DE RERVM PRETIO ET PERMVTATIONIBVS IN STATV LIBERTATIS.

§. I.

Etiam perſonæ liberæ mercantur, & res operasque ſuas commutant.

§. II.

§. II.

Commutatio vero in hoc quoque ſtatu pretium tam vulgare, quam eminens præponit atque admittit.

§. III.

Pretium in æſtimatione conſiſtit. Aeſtimatio extra rem eſt, cum, vti demonſtrauimus, in rebus ipſis non inueniatur pretium.

§. IV.

Ergo vnusquisque NATVRALITER (*) rem ſuam nummumque comparare pro arbitrio poterit. Non eſt iniuſtum, maioris rem locare, minoris emere, maioris vendere, ac deſiderio ſuo innocenti ratione, ſermone, factis & ſine dolo velificare; quoniam ante conuentionem non eſt pretium, multo minus iuſtum pretium; non eſt merces, multo minus iuſta merces.

(*) *Naturaliter* idem ſonat, ac *naturali ratione*: quidquid *Grotius* cum *Puffendorfio* in contrarium adducat, ille *Lib.* II. *cap.* XII. n. 26. hic *Lib.* V. *cap.* III. §. 10.

§. V.

Hinc non datur in hoc ſtatu querela de LÆSIONE *enormi* atque *enormiſſima*: dummodo error efficax, dolus, metus abſuerint: de quibus impedimentis in capite *de pactis* copioſe actum eſt.

§. VI.

Cauſſa, quare nonnulli hanc ſententiam iniquam dicant, illa decantata in contracti-

bus

bus oneroſis æqualitas eſt. Sed a falſo proxime abeſt, eam in rebus ipſis debere quæri. Vti enim pretium ex comparatione arbitraria oritur; ita etiam æquiualens, quod quisque contrahentium animo ſibi figurat: æquiualens igitur in rebus ipſis quæritur inſulſe.

Conf. *Grot. lib. II. cap. XII. §. 26.*

§. VII.

Vnde relinquitur, vt in eiusmodi caſu Princeps, ſeu Reſpublica in integrum ſe ipſam reſtituere nequeat, tametſi ſtulte æſtimauit: quod exemplo *Glauci* & *Diomedis* arma permutantium declarari poteſt.

§. VIII.

Circa reliquos contractus non multum noui occurrit. Eſt hic, vti dictum alias, animi intentio contrahentium circumſpicienda; eoque ſine dubio hallucinatus eſt *Vaſquius*, quando emptionem & venditionem ſine certo pretio, locationem & conductionem non expreſſa mercede, ſi a REGIBVS celebrentur, valitura docuit. Neque enim principes ipſam naturam & finem contractuum variare poſſunt, vt, quod emptio non eſt, fiat emptio: non eſt tamen abſonum, vt vnus e contrahentibus pretium determinet. Etſi enim in contractu, ſeu conuentione bilaterali vnusquisque paciſcentium conſentire debet; atque hoc loco in arbitrium emptoris *determinatio pretii* confertur, ſicque venditor nihil acceptare videtur, aut promit-

mittere; tamen, ſi res bene penſitetur, venditor in emptoris æquitate fiduciam collocat, in cuius ille voluntate acquieturum ſeſe indicat. Fac igitur, emptorem ſignare pretii quantitatem; & illico conſenſiſſe venditor iam merito creditur. De læſione nullus hic querimoniæ locus relinquitur; vtpote in quam conſentit, eoque *læſionis* idea plane vaneſcit; cum damnum, quod quis ſua culpa ſentit, non ſit damnum.

Conf. *Grot. lib. II. cap.* XIV. *§. V.*

§. IX.

Nec diuerſum obtinet, ſi princeps cum ſubiectis ſibi contrahit: ceu *capite* XI. iam monitum, resque diſtinctionibus expedita eſt §. 44. ſeq. Publica vtilitas ac neceſſitas, cui poſteriori æquiparatur interdum prior, ad controuerſiæ ſtatum vix pertinet, cum de diſſoluenda conuentione, vel ſuſpendenda ſermo eſt.

§. X.

Etiam ambigua eſt *Grotii* adſertio, opinantis, in ſtatu libertatis PERICVLVM non eſſe EMPTORIS: pertinere hoc axioma ad commenta iuris ciuilis. Quanquam enim verum eſt, vendito genere nihil perire emptori; vereor tamen, ne falſus ſit, ſi vendita ſit ſpecies. Potius id arbitrariæ legi, aut paciſcentium voluntati tribuendum eſt, ſi ad traditionem vsque res venditas commodo & periculo venditoris eſſe velint: vt taceam de mero

mero iure naturali dominium *ſine traditione* poſſe transferri. Adſtipulatur nobis hac parte *Barbeyracius* ad *Grotium* p. 428. *in notis* n. 5.

§. XI.

Vti vero MONOPOLIA cum ratione neutiquam pugnant; ita Reſpublicæ ſibi inuicem eiusmodi mercium μονοπόλειαν iure permittunt. Talia pacta Bataui itemque Angli cum Indiæ populis permulta & Hiſpanis iniuerunt: nec penes promittentes eſt, reſcindere eius generis concuſſiones, parte altera inuita: niſi precarii clauſula ſit adiecta.

§. XII.

Vnde nec iniuſtum eſt, ſi gens varii generis MERCES COEMAT, & dein magno pretio diſtrahat. Quod iterum *Bataui* faciunt atque *Angli*.

Addatur aliquid de *Pythoclæ* inuento, quod commendat *Grotius*, *in not. ad lib. II. cap. XII.* §. 16.

§. XIII.

VSVRAS, quæ ſunt ſuperabundans, vt ſoluant liberæ gentes & ſibi ſtipulentur, itidem iniquum non videtur, e ratione, quam capite præcedenti ſignauimus in genere. Neque enim, quod faciunt aliqui, neceſſe eſt, vt miſera vtamur argumentatione ex lege Moſis petita, qua a *peregrinis* accipere fœnus conceſſit. Ex dictis æſtimari factum *Philippi* II. apud *Cabreram* poteſt, qui, ſub obtentu iniquitatis, *Ianuenſibus vſuras* negabat, nec *ſortem* tamen exſoluit. *Id quod* inte-

intereſt, nemo iurium peritus cum vſura miſcebit.

§. XIV.

Id quæri dignum, an etiam externis Reges donare poſſint, ſintque eorum DONATIONES firmæ. Diſceptatum inter Galliæ Regem & Sabaudum meminimus, qui Pignarolum ſibi redonatum ab *Henrico III.* contendebat. Et puto, totam eo redigi litem, vtrum eiuſmodi Principes donent de rebus *plene ſuis*, an regno propriis. Circa *priorum* donationum ſtabilitatem nihil dubii remanet: etſi cum *prodigalitate*, aut *ſine cauſſa* donatum dicas. Nos enim hic de *iuſto*, non de *virtute*, aut de eo, quod eſt *prudentiæ* conueniens, diſſerimus. Circa *poſteriorum* videndum, quam populus regi libertatem reliquerit. In dubio cum *Grotio Lib.* I. *c.* 3. & *Lib.* II. *cap.* 6 facerem, Regi libertatem donandi videri relictam, ſi *probabilem*, cur ita faciat, rationem habeat. Quod ſi vero expreſſe omnis alienandi poteſtas ei ſine populi conſenſu ſit adempta, non valebit donatio, vtpote de re aliena. Quod tamen olim non adeo fuit exacte a populis Europæis obſeruatum. Non incommode hoc loco de donationibus Regum Teutoniæ atque Imperatorum Pontifici Romano factis agi poteſt: de quibus nonnihil *Barbeyracius* ad *Grot. Lib.* I. *c.* 3. *p.* 143.

§. XV.

Similiter pronunciandum, ſi *ſibi ſubditis* dona-

donauerit Princeps. Neque enim has ceteris paribus reuocare donationes poterit, niſi ob pœnam, aut vtilitatem publicam cum compenſatione; vel precarii clauſulam. Confer ſupra dicta *cap.* XII. §. 45. *ſq.*

§. XVI.

SOCIETATES MERCATORIÆ *terreſtres* & NAVALES pacatæ, vtut præbent aliquando litigandi occaſionem; tamen inter liberas gentes iniri poſſunt, & ſecundum contractus legem expediri omnia debent, ac, niſi ſint ſingula clare expreſſa, ſecundum æquum & bonum tacitamque paciſcentium voluntatem. Talem ſocietatem contraxit Salomo cum *Hiramo* & *Tyriis*, huius ſubditis, rei maritimæ & nauigationis peritis, vt coniuncta claſſe aurum peterent ex Ophira. Vt *vnus damnum*, alter *ſolus lucrum* ferat, terminis ſocietatis repugnat itidem. Quomodo vero æſtimatio inſtitui poſſit & diuiſio reſpectu impenſarum & damnorum, *Loccenius* de iure maritimo *lib. II cap. II.* §. 7. oſtendit, quid? quod *Grotius lib. II. cap. XII.* §. 25.

§. XVII.

In SOCIETATE BELLICA tam terreſtri, quam nauali, quæ ſæpe, ob hoſtes communes ac piratas coercendos, initur, pro fine vtilitas communis eſt, ac defenſio: interdum & præda, captiui. Et ſtandum hic eſt lege fœderis, aut, ſi nihil dictum, pro

rata

rata res ac perſonæ cenſeantur communes, vel denique mos obſeruetur, vt capti fiant capientium: idem in reparatione damni communis tenendum. Ex his controuerſia de captiuis inter *Henricum Leonem* & *Adolphum* Holſatum, de qua *Arnoldus Lubecenſis L. II. Chron. Slav. cap. XXV.* nonnihil prodit, decidi poteſt. HENRICVS *Leo* omnes ad ſe pertinere captiuos aiebat, quod Comes *Holſatus* eſſet vaſallus ſuus. Ille contra cum nobilibus belligerantibus urgebant inprimis, ſe, cum proprio ære impenſaque militaſſent, vacuos nequaquam fore dimittendos; maxime, cum detrectare militiam potuiſſent, iubente Cæſare, qui HENRICO *Saxoni* admodum erat infenſus.

Conf. diſſert. *Hertii de Lytro ſect. II. cap. III.* §. 3. *& Grotius* Lib. III. cap. 6. n. 23.

§. XVIII.

In CONDOMINIO, ſeu rerum COMMVNIONE vti omnium æquale ius eſt; ita æqualis obligatio: neque hic aliquid differentiæ occurrit. Id addo, non hic valere maiorem ſuffragiorum partem. Cui conſequens, potiorem eſſe conditionem prohibentis, hincque, vno repugnante, rem in ſtatu ſuo manere ac nihil fieri.

§. XIX.

Quod ſi vero nemo ſit, qui contradicat, communicanda ſunt & lucra & damna, & impenſæ. Vſum hæc habent in *dyarchiis*

S &

& *triarchiis*, quæ valde frequentes ſunt in imperio noſtro; aliisque occurrere in regnis poſſunt.

Conferatur paroemia ab *Hertio* expoſita *Zwey Herren ein Herr* Opuſc. Tom. III. p. 600.

§. XX.

Poteſt etiam contingere, vt Principes & gentes, præcipue in bello, vel naues, vel tormenta, aliaque ſibi inuicem COMMODENT. Et eſt obſeruandum, non poſſe a commodante vrgeri, vt ſibi res nullo modo imminuta reddatur, præcipue cum ad vſum eſt conceſſa, periculo non vacantem, qui ſicuti in genere, ita quoque in ea, quam adduximus, ſpecie rem ſane ſic commodatam imminuit. Aliud eſt, ſi culpa noſtra pereat, &, *præter vſum*, imminuitur. De *caſu fortuito* multo minus eſt dubitandum, vtpote qui eſt extra commodatarii factum. Talia Princeps Badenſis *Ludouicus* ciuitati cuidam imperiali regeſſit, quæ tormenta *caſtro Kelenſi* tuendo commodata & a Gallis abducta repetiit. Sed aliud foret, ſi Princeps commodatarius res ſuas, imminente periculo, ſartas ſeruaſſet & tectas, *commodatas* neglexiſſet.

§. XXI.

De LOCATIONE & CONDVCTIONE inter gentes nihil adiicimus, niſi quod moris apud Germanos fere ſemper fuerit, locare *militum operas*, aut etiam *proprias* pro certa

ta mercede. Vt gens genti, ciuitas ciuitati rem locet, rarius euenit. Minimum ciuitati Lubecenſi ac ceteris Hanſeaticis peregrinum viſum eſt *Wallenſteinii* petitum, naues eorum conducere volentis. Sed eſt tamen e Gallorum monumentis notum, conduxiſſe illorum Reges, cum terram adirent ſanctam, ære ſatis magno ab Anglis & Italis naues, eaque de cauſſa in graues aliquando diſcordias incidiſſe. Nec incognitum eſt, Danos locaſſe naues bellicas Principi Electori Brandenburgico, cum Hiſpanorum in Pomerania naues detinuiſſet, ob ſtipendia promiſſa, ſibi non ſoluta. Vnde, quæ in genere ſupra de locatione diximus, hic quoque prudenter ſunt applicanda. Meritoque exploſi ſunt Hiſpani, promiſſam mercedem pro præſtitis auxiliis *Friderico Wilhelmo* denegantes, Principem immodeſtis verbis appellando *mercatorem*, cui interea ſolenni ratione promiſere ſtipendia, vt copiis ſuis tueretur Belgium. Hinc *Puffendorfius* Hiſpanici legati, quem exhibuit, libellum *callidum* appellauit, hoc eſt, improuidum v. *R. G. Frid. Wilh.* Lib. XVIII. §. 16.

§. XXII.

De DEPOSITO inter gentes dicendum, eſſe id reſtituendum deponenti indiſtincte. Quæſtio, quis iuſtiorem habeat petitionem, in ſtatu libertatis decidi vix poteſt. Nec audiendus videtur deponentis hoſtis, niſi tales

res depoſitæ ſint, quibus ei noceri magnopere queat, ſi repetat deponens. Et tum enim æquum videtur, vt penes ſe retineat bello medius, nec deponenti reddat, donec finitum ſit bellum. Exemplum huius rei nuper in bello Sueo-Polonico euenit: vrgentibus Suecis, vt, quæ Saxones depoſuiſſent in Boruſſia belli inſtrumenta, ſibi traderentur. Quod denegatum ipſis. Adde, ſi placet, ſæpe facti quæſtionem incidere, ſitne depoſitum, nec ne? Exemplum apud *Puffendorfium* de *Rebus geſtis Friderici Wilhelmi* lib. XVII. §. 83. obſeruatur, qui bellica tormenta in Veſalienſi caſtro relicta a Galliæ Rege ſibi *donata* contendebat, hic *depoſita* affirmabat, idque ex *Spanii* præfecti conſignatione atque tabulis perperam probatum ibat. Neque enim repugnat, adnotari a præfecto, quæ ſuo ſint Principi liberaliter permiſſa.

§. XXIII.

Mandatorvm maior in liberis gentibus copia occurrit. Neque enim gentes, aut Principes ipſi agunt, ſed aliorum vt plurimum miniſterio vtuntur. Quocirca videndum, ſitne mandatum ſub *ſpecialiore forma*; an ſub *conſideratione generaliore* datum? Si *poſterius*, impleri illud poterit per aliud æque vtile, aut vtilius, quam quod mandato præſcriptum erat. Sin *prius*, fruſtra quæritur, an *æquipollens* prohibeatur? Pertinent

eo

eo exempla a *Grotio lib. II. cap. XVI.* §. 21. allata.

§. XXIV.

Vnde dubium non eſt, obligari ſupremam poteſtatem ex *miniſtrorum* ſuorum *facto*, (*) dum egerunt, quod aut *probabiliter* ipſorum officio continetur, aut etiam ex *præpoſitione* innoteſcit.

(*) Hinc ipſe Philippus II. improbauit ſuum factum, debita ab miniſtris ſuis contracta diſſoluere detrectans; cum non auderet negare, ſua auctoritate ſuoque nomine eos contraxiſſe cum vicinis populis. Refert id præter *Cabreram* in *Hiſtoria Belgica*, EMANVEL METERANVS lib. XVIII. in fine.

§. XXV.

Primam ſpeciem *mandatum tacitum* appellare licet, poſteriorem *expreſſum*.

§. XXVI.

Ita Dvcvm officio continetur, dare inducias, non autem bello quæſita concedere, imperia, homines, iura, agros, non itidem de bello tranſigere. Eam ob rem recte apud *Iuſtinum* Lib. XL. cap. 2. *Antiocho* Syria adempta eſt, quamquam *Lucullus* dederat. Nec certe peccaſſet Pompeius, ſi auctoritate S. P. R. eam Antiocho rurſum abſtuliſſet: quod *Gronouius* ad *Grotium* Lib. III. c. XXI. n. 9. bene obſeruat. Poteſtas *Wallenſteinio* a *Ferdinando II.* data *extraordinaria* fuit & inaudita fere.

§. XXVII.

Quod ſi vero ARCANA Reipublicæ MANDATA neglexerit miniſter, vtut obſeruauit mandatum, quod produxit, & produċi iuſſus eſt, tum quidem obligatus manebit eidem: quemadmodum qui ſine mandato promiſit, obligabitur ſtipulanti. An vero liceat arcanum miniſtro mandatum dare? quæſtio hodie eſt Domitiana fere. Mercantur inter ſe Principes ac Respublicæ, ac ſimulationibus diſſimulationibusque vtuntur. Hinc aperte incedere nequeunt; niſi quidem decipi cupiant, & a ſcopo abludere ſuo.

§. XXVIII.

Ceterum promiſſio ſine mandato facta SPONSIO ab auctoribus appellatur.

§. XXIX.

Hæc non obligare Rempublicam dicitur, quia iniuſſu populi, aut Regis fit, aut facta eſt. Silentium autem non eſt iuſſus. Ita Romani apud *Liuium* Lib. XXI. c. 18. *Lutatii* Conſulis fœdere ſe tenere negarunt, quia neque *auctoritate patrum*, neque *populi iuſſu* ictum erat.

§. XXX.

Sed quid, ſi vtilis ſit eiusmodi ſponſio? Et puto, naturalem æquitatem præcipere, vt confirmetur, quemadmodum vtilis negotiorum geſtio; aut, ni placeat, in eum locum reſtituantur omnia, quo fuerunt, antequam ſponſio fieret. Quo officio Romani

ni deditione Ducis ſui neutiquam videntur defuncti in *ſponſione Numantina*, cum dedidere *Mancinum:* nec prorſus, quando in ſponſione *Caudina* remiſeruut Samnitibus duos *Conſules*, duos *Quæſtores*, ac duodecim denique *tribunos* militares: dubiumque nullum eſt, quin, etiamſi ſtricto iure non fuerint e ſponſione ſuorum obſtricti; tamen alia viſione debuiſſent conſulere tum obſidibus relictis, tum Imperatoribus rem Romanam inſigniter promouentibus. Sed obſtitit Romanorum inepta ambitio, ne ſeruarent, quod ſuo factum eſt iniuſſu: vtut ſalutariter ac pro publico bono. Igitur prorſus abſurdum erat, tribuere culpam bene merentibus, eorumque ſanguine ſatisfacere inimicis, aut credere ſaltem, a ſponſionis auctoribus ſatisfaciendum fuiſſe nimium credulis Samnitibus, Numantiniſque. Neque etiam id poterant præſtare ſponſores, pacem promittentes Samnitibus, ac Numantinis, quam dedecori ſibi futuram cenſebant reliqui Romæ agentes in tuto. Vnde fas erit certe, ponderare accuratius, quæ memoriæ produnt *Liuius*, *Appianus*, *Paterculus*, *Oroſius*, excitati a GROTIO *Lib. II. c.* 15. & PVFFENDORFIO *Lib. VIII. c.* 9. quamvis verum ſit, prudentius acturos fuiſſe populum vtrumque, ſi tam facile fidem non habuiſſent ſuperbis Romuli nepotibus, cauſantibus, nec ſe, nec ſpondentes populi Romani mandato

tranſegiſſe. Vix namque in priſtinum ſtatum ſe reponent elapſi, neque populus reponendos cenſebit omnes; euenietque per huiusmodi ingenioſas exceptiones, vt, vbi in tale diſcrimen coniicietur exercitus, pereant ad vnum omnes.

Laudentur de ſponſione *Numantina* & *Caudina* diſſertationes *Thomaſianæ*.

§. XXXI.

SÆPE enim accidere poteſt, vt neceſſitas & publicæ rei vtilitas non adeo anguſtis ſummæ poteſtatis MINISTROS terminis includendos ſuadent. Quod contra D. *Titium* obſeruandum, quippe qui RARIORA eiuſmodi ſponſionum exempla futura ſtatuit, ob maiorem bellandi peritiam, qua pollent noſtrates homines. Habemus tale ſponſionis exemplum apud *Guicciardinum* & Gallicos ſcriptores, *Ludouici XII.* tempore, vbi *Tremullius* Dux *Heluetiis* certam pecuniæ ſummam ſpopondit, vt agrum *Heduorum*, ſeu Burgundicum relinquerent, & obſidionem Diuioduni ſoluerent. Quid in *Batauis* a. 1668. cum triplex coaleſceret fœdus, ac denique *Holſatia* & *Pomerania* nuperrime fuerit actum, quibuſue in anguſtiis hæſerit ipſe Ruſſorum Imperator, ad *Prutham* fluuium, probe recolimus. De eo vero nemo ambiget, an conualeſcat ſponſio tacite, vel diſerte approbata a populo, aut ciuitatis principe?

§. XXXII.

§. XXXII.

Ceterum, quum gentes haud facile nudis promiſſionibus confidant, hinc *pignora* ſæpe, *obſides*, *fideiuſſores* poſcunt & dant.

§. XXXIII.

Sed PIGNVS vero ordinarie non ſoluitur, niſi debitum prius exſoluatur. Vnde *Galli* merito a *Ferdinando* Arragonio Ruſcinonis & Ceritaniæ pagos apud *Belcarium* repetitum iuere, quia *Carolo VIII.* pecuniæ, pro qua obligati erant, ſummam non reſtituit: vtut ſapientius feciſſent, ſi tardaſſent in reſtituendo, donec ſolutio eſſet facta.

§. XXXIV.

Altioris indaginis quæſtio eſt, an LVITIONI PIGNORIS vnquam præſcribatur? Plerique negant, quia res ſit mere facultatis. At cum pacis externæ interſit, ne, poſt tot ſæcula, excitentur lites, ac debitis quoque perſonalibus præſcribi queat, hanc ſolam rationem impedire vix exiſtimo, quo minus etiam luitionis ius, poſt longam temporis intercapedinem, cenſeatur exſtinctum. Debeo enim & hoc iure perinde ac aliis ita vti, vt ne derelictionis coniecturæ relinquatur locus. Quamobrem magis placet *Ziegleri* argumentum, qui, quod pro aliena poſſideatur, lui ſemper rem poſſe pignoratam exiſtimat: cui poſſeſſioni diuturnum creditoris ſilentium nihil ſane adiicit, nec huius iuribus demit.

XXXV.

§. XXXV.

Eodem fine quamuis OBSIDES aliquando dentur, varia tamen de iis ſunt monenda.

§. XXXVI.

Aut enim *ſua*, aut eius, *cui imperium* eſt, *voluntate*, FIDEI publicæ ſeruandæ, vel SECVRITATIS cauſſa, dantur. Belli Duces non niſi *vi poteſtatis* a ciuitate *acceptæ* id faciunt.

§. XXXVII.

Inter *ſubiectos* autem vix diſtinguitur. Dantur ſine diſcrimine ſexus, ætatis, dignitatis: dantur etiam Regum liberi, vti ex hiſtoria *Franciſci I.* conſtat. Qui ſubiecti non ſunt, non etiam cogi ad obſidiatum poſſunt, vti *vaſalli*, qui a *ſubiectis* vtique differunt.

§. XXXVIII.

Qui vero obſidem dat, obſtringitur certe facto & conuentione ſua, ne ab accipiente obſidem recipiat, quam ſoluta ſit fides. Nec ambigitur, quin ei, quod ſine ſua culpa ſenſit, reſarciendum ſit damnum. Quæ *Hennigeſius* in contrarium in notis ad *Grotium* affert, vix ſtringunt. Non enim fas eſt, vni, aut paucis imponi, quod in ciuitatem totam incumbit onus.

§. XXXIX.

Qui SECVRITATIS cauſſa in poteſtate eſt, etiam cuſtodiri arctius poteſt, ſed liberaliter. Nec tamen aliam ob cauſſam retinetur ex *pacto*: vtut e iure, quo ſubiecti ex facto imperantium obſtringuntur, detineatur aliquando.

§. XL.

§. XL.

Quon ſi fides frangatur obſidis *culpa*, occidi poterit, vt hoſtis; ſin minus, humanius cum eo agendum *Grotius* cenſet, quoniam nihil ei perfidiæ attribui poteſt. Sed poſſet tamen adfirmari: & tum eum *iure* ſeuerio-ri occidi, tanquam hoſtem. Hoſtis enim videtur, qui perfidæ & hoſtilis Reipublicæ ciuis eſt.

§. XLI.

Ipſe autem *obſes* obligatur, vt ne fugiat, ſed potius obnixe omnia faciat, vt is, qui eum tradidit, creditori ſatisfaciat.

§. XLII.

MORTVO obſide *ciuitas* obſtringitur, vt alium ſubſtituat, non *hæres*.

§. XLIII.

Mortuo autem eo, *pro quo* obſes datus eſt, ius etiam pignoris extinguitur: ſed, *Principe* e viuis abeunte, populus deinctus cenſetur adhuc amplius, qui, quod ille egit, hic ſane merito creditur egiſſe.

Laudetur *Schilteri* diſſertatio *de Obſidibus*.

§. XLIV.

FIDEIVSSORES, qui ciuitatum actibus accedunt, non vnius, ſed varii generis ſunt.

§. XLV.

Primum genus eſt, ſi inter alios paciſcentes fidem ſuam interponunt, ſeque effecturos promittunt, vt pax atque amicitia contracta ſeruetur, & læſio reparetur. Teutonico

nico vocabulo GVARANDI dicuntur : latino FIDEIVSSORES.

§. XLVI.

Sed recte animaduerſum a *Puffendorfio*, tacitum huic fideiuſſioni ineſſe fœdus de ferendo auxilio illi, qui contra pactiones oppugnatur, aduerſus iniuriæ auctorem. Cuiuſmodi ſponſiones in pacificationibus plerisque ſolent adiici : quod e Pace *Oliuenſi* inter Suecos & Polonos itemque *Nouiomagenſi* pateſit.

§. XLVII.

Secundum, cum *ipſi paciſcentes*, ſed aliorum tamen compaciſcentium intuitu, pacem ſpondent, quos vice mutua fideiuſſores non inutiliter accipi ex *Weſtphalicæ* pacis *art.* 115. *ſeq.* patet.

§. XLVIII.

Priori caſu vt plurimum *mediatores* ſimul fideiuſſorum perſonam ſuſtinent, qui conciliandæ paci interuenerunt : iique obligati ſunt, vt pacem inter alios vel per ſe, vel requiſiti tueantur. Exemplum in pace *Brandenburgico-Polonica* a. 1657. occurrit.

§. XLIX.

Hinc vſu nonnunquam venit, vt ipſi, ceu fideiuſſores pacis, inſtrumenta ſubſcribant : quod a. 1659. in pace *Hafnienſi* a Gallis & Anglis factum eſt.

§. L.

Tertium genus, vt vulgarius; ita etiam cer-

certius atque expeditius eſt, quando ſeliguntur, qui ſe ad certam pecuniæ ſummam ſoluendam eo caſu obſtringunt, ſi vel id, quod in pace promiſſum eſt, non præſtetur, vel pax ipſa non ſeruetur. Sic in formula pacis *Cameracenſis* inter *Eliſabetham* Angliæ Reginam & Regem Franciæ diſponitur, vt octo mercatores externi, non Gallis ſubditi, fidem interponerent ſuam de ſolutione D. M. coronatorum, ni intra tempus ſtatutum redderetur *Caletum*.

Commendetur *Obrechti* diſſertatio: *Sponſor pacis*.

§. LI.

Transactiones, vti in ſtatu naturæ omnium fere frequentiſſimæ ſunt; ita ob finem, qui ſubeſt, exactiſſime ſunt ſeruandæ. Non hic *læſio*, non *teſtamenti*, aut aliarum *tabularum* inſpectio, non *noua inſtrumenta* attenduntur, niſi talia ſint, e quibus noua cauſſa petendi exſurgat. Sed tum vero non tam tranſactio reſcinditur, quam noua actio cooritur.

§. LII.

Contractus & pactiones aleam continentes inter gentes non minus, ac homines ſingulares valent. Præterquam enim quod in diuiſione regnorum ſæpe SORTI locus eſt; etiam bella nonnihil caſus habent atque fortuiti; quæ propterea cum *alea* ſolent componi.

§. LIII.

§. LIII.

Saltem in his ea ſubeſſe conditio videtur, vt victor victo imponere leges poſſit, & pacis præſcribere conditiones, quæ ſibi videntur iuſtæ. Hinc perperam *Franciſcus I.* apud *Belcarium* conqueſtus eſt, ſe indignis modis carceri mancipari, & ad pacem iniuſtiſſimam cogi.

§. LIV.

Quod vero bello, id *decretoriæ* pugnæ vnius, aut plurium, aut etiam propriæ licite committitur, quia in ſtatu naturæ non alia ſæpe expediendæ ſalutis ratio inuenitur.

§. LV.

Eſt & notum ſponſionis ex *Monacho Paduano* exemplum, vbi *Philippus Auguſtus* Galliæ Rex *Ottoni IV.* per regnum ſuum eunti promiſit, ſe ei meliores Galliæ, quas ſignabat, ciuitates daturum, ſi dignitate Cæſarea ornaretur. Addit *Monachus*, inde poſtea accenſum eſſe bellum inter ſpondentes, cum *Philippus Auguſtus* detrectaret ſtare promiſſis. At vix ambigendum, quin tota Galli rem ex parte alienam promittentis ſponſio nullius fuerit momenti: ſicut & *Ottonem* aliæ inflammauere ad pugnandum cauſſæ.

§. LVI.

De ALEÆ ludo memorabilis Auguſti apud *Suetonium* epiſtola *cap.* 72. obſeruatur, qui ſoluit, quod perdidit, & remiſit benigne, quod lucrifecit. Sed quid? ſi alea per-

perderet Princeps bonam regni partem? Et tum fere ſimile, quod §. XIII. de *donationibus principum* tulimus, iudicium ferendum foret. Continet enim luſio tacitam & mutuam donationem, vtut conditionalem. Quod inofficioſe donatur, merito reuocatur.

§. LVII.

Id minus dubii habet, integram ciuitatem de auertendo periculo poſſe cauere. Eſt ſane apud *Liuium* L. XXIII. cap. 49. exemplum, vbi tota ciuitas ſeſe ad penſationem damni obligauit, ſi qua periret nauis *annonam* in Hiſpaniam portans. Et enim proprie loquendo talis, de quo *Liuius* loquitur, contractus non fuit, quem nos *aſſecurationem* appellamus, cum gratis damnum obſeruetur ſuſceptum; nullum tamen dubium eſt, quin licuiſſet quoque ſtipulari pretium, aut *fœnus* ſat grande. Ac ſicuti fœnus rationi non repugnat; ita pro periculi menſura & augeri illud, & minui poteſt. Iuſtitiam talium conuentionum *Hertius* quoque defendit *paroem. I. G.* XLIII. §. 8. monetque ſimul, ſpem potius emi, quam vſurariam prauitatem exerceri.

§. LVIII.

Ad huiusmodi *emptionem* ſpei, præter ollas fortunæ publico ſæpe nomine cautas, *Ioniorum* iuuenum controuerſiam, in quam cum Mileſiis piſcatoribus inciderunt, referimus, de aureo tripode extracto, cum capturam

turam piſcium emiſſent. Tota quæſtio eo redit, vtrum iactus in genere, an ſpeciatim captura piſcium fuerit vendita? Oraculum Delphicum inepte litem decidit: quamuis *Diogenes Laertius*, *Plutarchus*, *Valerius Maximus* factum recenſeant diuerſimodis. Nec ad aliam claſſem, puto, pertinere, ſi quis ſpem emat ſucceſſionis in regno, vel hæreditatis, quæ adhuc valde eſt incerta remotaque. Quod thema admodum fuit diſceptatum in cauſſa ac lite Culmbacenſi per tranſactionem demum finita.

§. LIX.

Vti vero ſolutione naturali; ita Principes ac gentes interdum SVBSIDIARIA vtuntur. Refert *Comineus*, SIGISMVNDVM Auſtrium *Carolo Audaci* obtuliſſe debitam pecuniæ ſummam, eaque Baſileæ ſolenniter depoſita, copias cunctantis Burgundi e Pfiretano Comitatu ac Suntgouienſi tractu eieciſſe: nemine dubitante, quin iuſte feciſſet.

§. LX.

COMPENSATIONVM themata multo frequentiora ſunt. Neque enim prudentia tantum, hoc imprimis in ſtatu requirit, non ſoluere, antequam ab altero tibi viciſſim ſit ſatisfactum; verum etiam iuſtitiæ congruit, contribuere vltro citroque, quod *liquido* debetur. Vnde mirandum non eſt, nexuiſſe moram Iudices a *Gelriæ* Principe & *Florenno V.* Hollandiæ Comite electos, cum vterque

terque ſibi deberi contenderent. Nondum enim ad liquidum perductum fuit, quid *Batauus* deberet *Gelro.*

Conf. *Boxhornii* diſquiſitiones politicas p. m. 71.

§. LXI.

CONFVSIONIS noua ſpecies inter gentes occurrere videtur, ſi una alteram vincat, ſibique ſubiiciat, aut princeps eius Reipublicæ Dominus hæreditarius efficiatur, quæ aut ſibi debuit, aut is illi. Ita *Ludouicus XII.* deuictis Ianuenſibus, pactiones omnes cum iis initas irritas, ac credita ſibi extincta pronuntiauit, quod non amplius duraret Reſpublica, ſed illa nunc ſub ſuo ſit imperio, nemoque ſui ipſius eſſe debitor, creditorque poſſit; ac, ſi ſupereſſet Ianuenſis reſpublica, eius iam ſe caput eſſe & Dominum. Vnde *Autonus* in hiſtoria *Ludouici XII.* refert, cuſos eſſe varii generis nummos, in quibus is appelletur IANVÆ DOMINVS.

§. LXII.

REMISSIONIS *expreſſæ* & *tacitæ* perplura in hiſtoriis exempla proſtant. Inde merito dubitatum eſt, an *Bragantinus* in Luſitaniæ regnum aliquid iuris retinere potuerit, datis *Philippo II.* ceſſionis litteris. At ſcio, poſteros eiuſdem Hiſpanis partim exceptionem metus, partim neglectæ acceptionis obuertiſſe.

Conf. *Paſſarelli bellum Luſitanum* p. 5.

§. LXIII.

Idem efficit inter Reges CHIROGRAPHI REDDITIO, quod inter priuatos, niſi quis minus argute illos tacite & *facto* conſentire poſſe neget: dummodo interea certum ſit, chirographum a ſciente, nec per errorem fuiſſe redditum. Eiusmodi controuerſia inter *Cliuiæ* Ducem & *Moerſenſem* Comitem olim agitabatur ob litteras feudales, Mœrſenſi Comiti redditas, quarum fauore ab omni vaſallagio hic ſeſe pronuntiabat liberum.

Conf. *Grot. L. II. cap. IV. n. 4.*

§. LXIV.

Id magis intricatum videbatur, an, chirographo ab *Alexandro M.* THESSALIS reddito, hi liberati fuerint centum talentorum obligatione, quæ non debebant *Alexandro*, ſed *Thebanis* ab illo victis? *Quintilianus* a *Thebanorum* partibus ſtat, iisque ius agendi tranſcribit, quia *Alexander* non eſſet *hæres*, ſed victor. At, qui dominus perſonarum, ille & rerum eſt, & iuris omnis, quod perſonis Rempublicam conſtituentibus competit, merito ſic arguente *Hugone Grotio* L. III. cap. VIII. §. IV. Diuerſa plane ſpecies videtur, ceu recte monet *Hertius* ad *Puffendorfium* Lib. VIII. cap. VI. n. 23. ſi miles chirographum occupauerit, ceu priuatus. Hic enim nihil acquirit, niſi quod manu cepit, & abſtulit. At qui imperium occupat, iura ſimul publica occupat, ſub quibus *ærarium*,

rium, PVBLICA NOMINA, reliqua. Igitur & quod ciuitati deuictæ competit ius crediti, ſimiliter acquirit victor, eoque ærarii adminiſtratores ad rationes reddendas & reſidua penſanda iure cogit. Quale thema nuper in Bremenſi Ducatu ventilatum recordor.

§. LXV.

NOVATIONEM pro iuris ciuilis inuento habuit *Puffendorfius*: vtut perperam. Eſt enim liberum omnibus, variare pactionum figuras. Vnde in fœdere Romanorum cum *Antiocho* apud *Liuium* lib. XXXVIII. cap. 30. ſpeciatim addebatur, *ſi quid poſtea addi, demi, mutariue placuiſſet, vt id ſaluo fœdere fieret.*

§. LXVI.

Et quemadmodum vero eiusmodi *nouatio* euenit, ſi *expreſſe* noua pactio, veteri ſublata, ſubſtituatur; ita *tacite* & facto fieri poteſt. Vnde Daniæ Rex *Fridericus III.* fœdus renouare cum Polonis apud *Puffendorfium* abnuit, ne, abruptis tractatibus, iidem arguerent, ius quæſitum ex veteri fœdere fuiſſe amiſſum.

§. LXVII.

Sed amplius tamen circumſpiciendum, an fiat nouatio, cum quis fœdus antiquum, cuius tenor aliquid dubitationis continet, explicandum urget, ne vnquam de eiusdem obſcuritate oriatur diſputatio? Quod non

exiſtimabant Brandenburgici.

'Vid. *Puffend.* R. G. *Friderici Wilhelmi* L. IX. §. 6.

§. LXVIII.

Ceterum & nominum & aliorum iurium CESSIONES vti inter gentes ſunt frequentes; ita, tametſi fiunt in *potentiorem*, licitæ omnino ſunt. Non eſt neceſſe, vt in ceſſionis inſtrumento indicetur cauſſa. Nobile eius rei exemplum in hiſtoria *Conradini* occurrit, qui iura in Apuliæ regna ad *Petrum Aragonium* tranſtuliſſe fertur: quamuis non diffitear, dubitandi ſupereſſe rationes, an in facto id contigerit reuera? Et patet nunc e *Mazarini* Litteris nuper editis, laboraſſe Gallos, vt in ſe transferrent Hiſpani ſua in Belgas iura.

§. LXIX.

De SVCCESSORVM obligatione confuſe, uti iam monuit *Grotius*, a plerisque tractatum eſt. Nos videndum ante omnia exiſtimamus, ſitne ſucceſſor omnium bonorum hæres, an regni & bonorum, an regni tantum? Si prius, dubitandum non eſt, quin ex contractibus eorum, in quorum locum ſuccedunt, teneantur; ſin ſecundum, idem dicendum eſt; ſin tertium, conſiderari fas eſt, ciuitas conſenſerit, nec ne. Et id vero partim e regiminis forma pateſcit, partim contractus formula, partim vtilitate, quam animo intendit. Dico intendit. Eſt enim admodum durum, quid? quod ipſis Rebuspublicis minus commodum, ſi tum demum obli-

obligata ciuitas cenſeatur, cum actus in vtilitatem eiusdem redundat. Ex eo themata a *Bodino lib. I. cap. VIII. de Republica* allata definienda videntur. *Neceſſitas* de cetero ſemper videri debet excepta, cuius ad vltimum ac maximum telum cum interitu excipiendum nemo creditur obſtrictus. De fœderibus ſupra *cap. XIX.* mentem noſtram aperuimus.

§. LXX.

MORTE vero debitoris Principis extingui debitum *perſonale*, qui non habet hæredem, nec bona, nulla nos dubitare ratio cogit.

§. LXXI.

TEMPVS nihil in obligatione delet; ſed pactio, qua quis ad certum tempus ſe tantum obligatum iri profitetur. Igitur exigendum eſt debitum, antequam præfixum petendi ſpatium effluxerit. Habet tunc temporis adiectio conditionem, qua neglecta, deſinit ius & *comparate* obligatio. Ita promittere Princeps poteſt, vt ſi quis intra triennium a ſe petierit emigrandi facultatem, eam conſecuturus ſit petitor; amplius non: vt de fideiuſſorum obligatione ad tempus nihil dicam.

§. LXXII.

STATV mutato, ac conditione, quam paciſcentes vnice reſpexerunt, & ius videtur exſpirare, & obligatio. Sic qui regio munere priuatur, teneri vt Rex non amplius

poteſt; nec ſubiecti viciſſim, qui in alterius ditionem vel volente Domino priori conceſſerunt, vel a Victore, inuito eo, ſunt ſubacti. Sat eſt, victum non poſſe iam eos tueri, nec interea priſtinum recuperare ius.

§. LXXIII.

De SCRIPTVRA addimus, eam non videri ſubſtantiæ contractus partem, niſi expreſſum ſit, ſcriptura confici debere & haberi. Quod poſtremum hodie moris eſt in pacificationibus Rerumpublicarum. Ex his principiis iudicandum de *Murenæ* exceptione, qui *Sullæ* cum *Mithridate* pactiones irritas pronuntiauit, quod nondum fuerint conditiones ſcriptæ. Imperfectum enim eſt, cui aliquid deeſt. Recentiora exempla *Wicquefortius* larga manu ſuppeditat.

CAPVT XXV.

DE RERVM PRETIO ET PERMVTATIONIBVS IN STATV CIVITATIS.

§. I.

VTut vero náturaliter vnusquisque rem ſuam tanti, quanti placet, æſtimare poteſt; ſæpe tamen intereſt, ne imperium civitatis *ſtultis* hominum æſtimationibus nimium indulgeat.

§. II.

§. II.

Hinc PRETII LEGALIS noua ſpecies ſurgit, quod nec *maius* recipit nec *minus*. Turcæ multis rebus, adnotante *Turneſortio*, tale pretium imponunt. Attenditur hic minima læſio, ac multo magis læſio vltra alterum tantum.

§. III.

Et durat iſtud, quam diu ciuitas vult, aut velle cenſetur. Sæpe enim euenit, vt *certam* ob *cauſſam* pretium determinetur, qua euaneſcente, ipſa quoque lex euaneſcere videtur.

§. IV.

Hoc pretium *legale* ſecernunt vulgo a *pretio communi*, quod communi aliorum æſtimatione definitur.

§. V.

Sed cum communis æſtimatio me nequaquam ſtringat, perperam ſane argumentantur, qui læſionem *vltra dimidium* ex communi pretio diiudicandam cenſent, niſi lex imperantium accedat.

§. VI.

Et hæc autem, quamquam poteſt accedere, & ſæpius etiam accedit, vereor tamen, ne nihil agant magiſtratus, aut ſane variis litibus ſibi ſubjectos inuoluant. Semper enim quæretur, an hæc res *communi pretio* vendi poſſit, aut iſtud recipiat? Oc-

currunt, quæ illis elabendi viam commonſtrent. Fac enim, me equum, qui alias L. vncialibus venit, vendidiſſe centum & tribus, ſed vendidiſſe, cum ipſe indigerem, eoque ſine magno meo incommodo carere non poſſe. Dices: non adeſſe tum enormem læſionem. Regero viciſſim: inde igitur patere, quam difficile ſit, definire in ſpecie, quid ſit enormiter lædi. Non eſſe autem & non apparere, in moralibus perinde ſunt. Deficit hic fere probatio clara. Sed finge tamen, poſſe forte bis, aut ſemel per ſæculum læſionem ad liquidum perduci, an eſt prudentiæ, aperire tot litibus feneſtram, cum id raro fiet, quamuis cauſſidici, & læſi initio fieri id poſſe credant, iactitentque?

§. XI.

Id magis exploratum, liberum eſſe regnantibus, ſignare facie, aut alio indicio NVMVM, quo res ceteras dimetiantur ciues, ne partim in materia, partim in valore fraudi relinquatur locus.

§. XII.

Qui contra faciunt, lædunt alios, &, quantum in ſe eſt, pacem ciuitatis ſuique æqualium non quærunt.

§. XIII.

Etſi vero licitum eſt, determinare pro lubidine materiæ pondus, quod ſignetur; prudentiæ tamen ſimul-atque iuſtitiæ videtur eſſe, vt tum ad ciuium commune iudicium, tum

tum *raritatem*, tum etiam aliarum, quæ nobiſcum mercantur, gentium mores reſpiciatur. Nam etſi quidam populi conchas varii generis, ferrum, cuprum aliaque, quæ a noſtris ridentur, nummi loco, elegerunt; id tamen ceu *c.* XXIII. obſeruauimus, in exemplum proponi nequit.

§. XIV.

Quibus obſeruatis, facile nunc erit iudicatu, quid circa contractus, in quibus ponitur PRETIVM EMINENS & certus occurrit paciſcentium finis, ciuitas poſſit. Nam cum ſine pactis & contractibus viuere vix liceat, æquum eſt, præſcindere fraudi & litibus occaſiones, ac facere omnia, quo finem, quem intendunt contrahentes, ſine *ambiguitate* obtineant, & commercia floreant, & ciuibus ſingulis vita reddatur haud iniucunda.

§. XV.

Inde prouenit, quod quædam non liceat EMERE, PERMVTARE, aut VENDERE, vt *venena*, *arma*, quædam non, niſi certo modo, vt *fructus* in *herbis*, *actiones*, *hæreditates*, quædam etiam non, niſi *publice* & ſub *haſta*, ac præcedente cauſſæ *cognitione* ac *decreto*, vt res *pupillares*, *minoris*.

§. XVI.

Ex eo eſt, quod VSVRAS interdum prohibeat ciuitas, interdum permittat, ſed pro *raritate*, aut *abundantia* pecuniæ itemque *conditione perſonarum* certos limites ponat.

Hinc

Hinc tot, ratione vſurarum, variationes.

§. XVII.

Ex eo itidem, quod FILIIFAMILIAS mutuum accipere prohibeantur, ne parentibus oneri ſint, ipſique pecunia temere emungantur.

§. XVIII.

INDEBITI SOLVTIONEM, vti promutuum diximus; ita eandem in hoc ſtatu appellamus. Nam qui *ignorans* ſoluit, non ſane videtur donare. Tantum quæritur, quid ſit INDEBITVM? quid ſit *ignorare*? an *in iure errans* ſimilis ſit *ſcienti*? Atque id vero partim *ratio*, partim *lex ciuilis* determinat.

§ XIX.

LITTERARVM obligatio vero e litteris quidem *proxime* venire videtur; ſed cauſſa *remota* eſt mutuum, quod contractum fuiſſe litteris indicatur. Rationis diſciplina nihil dubii ſuppeditat, quare litteris a debitore ſcriptis, vel ſubſcriptis non ſit credendum? Sed Romani propriæ & ab vno latere factæ confeſſioni olim prorſus nihil tribuebant fidei: deinde poſt quinquennium mutuum interueniſſe cenſebant; donec Juſtinianus id contigiſſe poſt biennium præſumendum eſſe decerneret: a quo negotio obligatio nominum vetuſta prorſus differebat: de qua in diſſertatione ſingulari *Gundlingianorum part. XL. obſeruat.* 2. luculentius ſum commentatus.

§. XX.

§. XX.

Donationes vt vel prohibeantur, vel inſinuentur, vel ſolenniori ratione peragantur, e lege ciuili eſt. Admodum vero abſoni ſunt & ſimul, cum reprehenduntur, indecori, quando ACCEPTATIONEM ad ciuilia referunt; eamque in lege Cincia præceptam ſomniant. Rectius dixiſſent, in dicto plebiſcito ſolennem *mancipationem* fuiſſe præceptam aut in *iure ceſſionem*, ac *traditionem*: ita tamen vt ante legis ſolennem actum *acceptio* neutiquam excluderetur. Quod quamuis pluribus a me in *Gundlingianis part.* XXIX. fuerit inculcatum; neſcio tamen quam ſint aliqui vltra fidem obſtinati, dum ſua commenta mordicus defendunt, *acceptationem* pro hodierno barbaro adnexu venditantes; quia *acceptare* & *acceptatio* ſint barbaræ voces; quod itidem falſum. Hoc verum eſt: *Iuſtinianus* nudum iterum conſenſum admiſit, vt eſſet perfecta donatio, ratione obligationis, ſine *emancipatione*, atque in iure *ceſſione*, ſine *traditione*, ſine *ſtipulatione*, quod pluribus cum *Sandio* probaui *l. c. p.* 248. Acceptationem autem non ſuſtulit, ac, ſi feciſſet, omnium ſane Legiſlatorum ſtolidiſſimus fuiſſet. Quare vero lex *Cincia* atque Imperatores ita conſtrinxerint donatores, & *certam tantum ſummam* ipſe *Iuſtinianus* ſine ſolenni ritu, atque inſinuatione demum transferri permiſerint, ex

variis

variis cauſſis profluxit, quas alibi indicaui. Sed inter eas tamen præcipua fuit, quod *donare* idem crediderunt eſſe ac *perdere*: vt taceam, non placuiſſe itidem tribuno plebis *Cincio*, vt in Democratia profuſa ac ſimul præcipiti liberalitate factiones alerentur, nouasque res molirentur ditiores.

§. XXI.

Donationvm revocatio ob animum ingratum, pariter e iure arbitrario manauit. Quanquam enim virtus grati animi ſigna nunquam negligit; non poteſt tamen ſecundum ius ſtrictum donator exigere iſta: vt qui dediſſe creditur, ac ſi nihil foret recepturus. Aliter ſi dediſſet, donatio eius non ſane fuiſſet benefica. Eadem obſeruanda ſunt de reuocatione donationis ob *ſuperuenientes liberos*; cum propoſitum in mente retentum nihil ſoleat operari. Omitto, animum inducere Doctores præclaros, *l.* 8. Cod. *de reuocandis donationibus* ſingularem fruſtra fuiſſe ad omnes donationes liberorum ingenuorumque hominum protenſam: quemadmodum precaria ſit opinio, donari non poſſe omnia bona, quia alioquin nihil reliquum foret, de quo conderetur teſtamentum. vid. *Beyer* ad *ff. de donationibus.* Inde vulgus Iuris peritorum concluſit, omnes donationes videri odioſas.

§. XXII.

Donationis inter virvm et vxorem pro-

prohibitæ rationes plurimæ adducuntur: vtut pleræque futiles ſunt. Præcipua eſt, quod ICti Stoici amorem honeſtum ſolis animis æſtimabant; non autem muneribus: inprimis, cum Vir & Vxor comparate ſibi Patris loco filiæque eſſent. Quod poſtremum, quia euanuit cum tempore, & *Caracallæ* totum iſtud ius vetus diſplicuit; ideo vſu venit, vt hic Imperator fuerit Senatui, aliquid vt laxaretur e iuris rigore, quod *lex* probat 32. *ff. h. t.* Atque hinc igitur ICti temperamentum e voce *donandi* exſculpſerunt: requirentes, vt *donator* ex liberalitate ſua *pauperior* & donatarius *locupletior* fieret. Alterutrum ſi deeſſet, donatum non cenſebant: vnde exceptiones fere regulam exſtinxere.

§. XXIII.

Vt SOCIETATI quocunque tempore renunciari poſſit, nec pactum obſiſtat, prouide ſtatutum videtur. Neque enim lucrum, quod in hoc contractu inprimis reſpicitur, facile obtinebitur, niſi lubentes volentesque eo collaborent ſocii. Eadem Romanos ratio impulit, vt mortuo vno ſocio, ſocietatem crederent concidiſſe; quia induſtria perſonæ eſſet electa: quod argumentum *Grotius* mere ciuile putat. Cumque Romani ſocios pro fratribus habuerint, idcirco, vbi nihil de partibus lucri, damnique diſerte conuentum, æqualitati partium locum dedere

l. 29.

l. 29. *ff. pro Socio.* Quod vltimum iterum ſecundum ius naturæ ſimplex verum non eſt. v. *Grot.* Lib. II. cap. XII. §. 24. & notas *Barbeyracii* n. 4. & cap. XVI. *Lib. eod.* §. XVI. n. 7. Ceterum quid ſit *lucrum*, quid *damnum*? copioſius iuris ciuilis magiſtri exponunt.

§. XXIV.

In LOCATIONE & CONDVCTIONE, vti vſus conductoris, qui certo tempore ex fine contrahentium circumſcriptus eſt, attenditur; ita, eo finito, locatio quoque finienda ac conductio. Si conductor re *abutatur*, obligatio locantis perit, quoniam res non ad abuſum, ſed vſum data intelligitur. Quid ſit abuti, partim ratio, partim lex & conſuetudo definiunt. Saltem is etiam abuti re locata creditur, qui *meretricibus* ſciens domum conductam *ſublocat*: licet alioquin ſublocandi facultas conductori non ſit cenſenda interdicta, ceu volunt aliqui, rem ſecundum rationis diſciplinam penſitantes. Sæpe enim re quidem vtor; verum non integra. Etiam aliquando plane impedior, ne ipſemet vti queam: quamuis interea integra merces ſit ſoluenda. Sed fac, me non *ſublocare*, ſed locatorem alteri locare; & tum reddendum a locatore, quod hic percepit: idque æquitati congruit, & iuſtitiæ: quod & *Grotius* agnouit *Lib. II. cap. XII.* §. 18.

§. XXV.

§. XXV.

Vt vero CONDVCTOR rem relinquat, quando dominus *re ſua* ipſemet indigere occipit, ex lege ciuili eſt, nec neceſſaria conſequentia ex ipſa contractus natura fluit. Etſi enim dici poteſt, me conducendam alteri tum demum permittere, cum non indigeo; fallit tamen hæc ſæpe argumentatio. Multi domum alienam incolunt, quamuis poſſideant propriam. Occurrit hic nonnunquam locatoris & conductoris incommodum. Vt præferatur dominus, neceſſe non eſt, quippe facto ſuo alteri vſum conceſſit. Conditio in mente retenta non adtenditur.

§. XXVI.

Quod ſi ad annum, vel plures prædium *ruſticum*, aut *vrbanum* conducatur, videndum, quo loco viuamus, & quando ex conſuetudine annus incipiat, itemque finiatur. Ita Romæ locatio *in ruſticis* menſe Martio, &, ſi menſis intercalaris inter Martium & Februarium intercidiſſet, merkedonio: *in vrbanis* Kalendis Iuliis incipiebat.

§. XXVII.

Vt VLTRA TEMPVS teneatur conductor inuitus, rationi vix congruit. Quicquid circa *vectigalia* publica conſtitutum, fauore Principum conſtitutum cenſeri debet.

§. XXVIII.

Nec magis videtur naturale, veterem conductorem nouo in fundis publicis eſſe præferen-

ferendum: quanquam forte prudentia & æquitas id ſuadent. In ſe, quando res conſideratur, prior ſane locatio eſt finita.

§. XXIX.

Circa *tacitam relocationem*, aut *reconductionem*, cum variæ occurrant coniecturæ; idcirco ciuitas prudenter agit, ſi, ad præſcindendas lites, legem condat, quæ ſequenda.

§. XXX.

Vt locator aliquid de mercede ob STERILITATEM ingruentem remittat, plerique naturale exiſtimant. Sed obſeruauit iam *Grotius*, id potius iuri arbitrario videri adſcribendum, quando is præſtitit agrum prædiumque fructibus ferendis accipiendisque alioquin aptum. Idem in reliquis caſibus fortuitis argumentum ſubeſſe: quos potius ferat conductor, quam locator, niſi in ſe receperit hicce. Quod in foro ſecus eſt tam Romano, quam noſtro. Nec nocet, locari rem ad vſum. Sat eſt, in me nihil culpæ reſidere, nihilque doli. Periiſſe rem videri, dura certe fictio eſt: quandoquidem ſequentibus annis vſus iterum adeſt: qui non tam reuiuiſcit, quam caſu impeditus ita ſeſe prodit, vt res locata ad commodum percipiendum clariſſime obſeruetur.

§. XXXI.

Vt aliquis ad LOCATIONEM OPERARVM cogatur, e *pacto* venit, vel *decreto* ciuitatis.

 §. XXXII.

§. XXXII.

Qui operas locauit & aduerſa valetudine, aut fortuito caſu eſt impeditus, ne præſtaret, integram mercedem petere ſtricto iure non poteſt. Leges autem ciuiles hic nonnihil charitati & miſericordiæ aliquando indulgent.

§. XXXIII.

Vt quidem PROHIBEANTVR CONDVCERE, ratio muneris, quod gerunt, ſuadet, exemplo militum, decurionum, clericorum, tutorum, curatorum.

§. XXXIV.

Vt autem FABRI, VIETORES, & qui artem ſuam cum STREPITV exercent, arceantur a conductione circa litteratorum domus, fauor liberalium artium ac clericorum fecit.

§. XXXV.

In DEPOSITO reſtituendum videtur, quod eſt datum. Dupli præſtatio, tum in vulgari, tum miſerabili, quod in Leg. XII. Tabul. promiſcue ſancitur, vbi quis abnegat iſtud, pœnalis eſt, e peculiari Romanorum ac Græcorum opinione fluens, quam ex *Ouidio* & *Terentio* illuſtratam dedi in *Gundlingianis Part. II. obſeru.* 4.

§. XXXVI.

RES IMMOBILIS an queat deponi? diſputatur. Tu obſerua, vocabulum latinum non pati, vt rei immobilis depoſitum ſtatuatur.

tuatur. Si rem conſideres, nihil obſtabit: quod bene expendit in *Coniectural.* DVIRSSEMA.

§. XXXVII.

Circa MANDATVM nihil hic differentiæ obſeruatur: vtut iure ciuili quædam perſonæ a mandato ſuſcipiendo, præſertim in iudiciis, ob peculiares cauſſas, remouentur.

§. XXXVIII.

PROCVRATORES IN REM SVAM ad commenta iuris Romani referendi ſunt, quod ſingulari diſſertatione oſtenſum in *Gundlingianis part. VI. n.* 2.

XXXIX.

In PIGNORIBVS legem commiſſoriam *Conſtantinus M.* eneruauit, ne fraudibus & auaritiæ diuitum locus relinqueretur. *Tacitæ hypothecæ* a lege veniunt: egitque ſapienter *Franciſcus Balduinus*, ad leges ſingulas animum aduertens.

§. XL.

Ne *feminæ* cum effectu poſſint FIDEIVBERE, itidem naturale non eſt. Habuerunt Romani peculiares, præter eas, quas vulgo colligunt, cauſſas. De quibus *Aueranius* in *interpretationibus iuris Lib. II. c.* 5. conſulendus. Idem de decurionibus, militibus, tenendum.

§. XLI.

Eidem iuri Romano tribuendum, quod

 verba

verba requiruntur ſolennia. Idque fideiuſſionis nomen ſignificat.

§. XLII.

Constitvtvm in effectum fideiuſſio eſt, vel *expromiſſio*: etiam *pactum geminum*, aut interdum *ſimplex*. Ipſi Romani iſtud tanquam pactum conſultiſſimum ſuſtinuere, ceu pactum *hypothecæ*: v. *Gundlingiana part.* *XX. obſeruat.* 4.

§. XLIII.

Maiorem difficultatem habet, an quis ad *cruciatum corporis* & *mortem* fideivssione ſua obſtringi poſſit? *Huberus* id fieri poſſe credit, ſententiamque negantem Romanæ ciuitatis inſtitutis adſcribit, quæ corpus & vitam non eſſe in commercio putabat. At hoc etiam naturali iure verum eſt, atque experientia confirmat. Vnde nec *obſides* licet, ob eorum ſtipulationem, occidere; hincque eſt, quod *fideiuſſores* in criminibus corporis pœnam, vel capitalem merentibus non admittuntur.

§. XLIV.

Beneficivm excvssionis ac diuiſionis pro arbitrio ciuitatis aut concedi fideiuſſoribus, aut adimi poteſt. Id certum, antiquum ius Romanum æquius & prudentius videri. Neque enim ſubſidiaria obligatio hoc continet, vt prius excutiatur ad peram & ſaccum debitor principalis. Sufficit, eum nolle ſoluere. Vnde etiam Noribergæ aliisque

liisque in locis hoc beneficium ceſſat. Idem de BENEFICIO DIVISIONIS iudicium ferendum. Niſi enim ipſe ſibi fideiuſſor proſpexerit, habet, quod ſibi imputet. Epiſtola Hadriani hac in cauſſa commerciis minus, litibus autem ferendis apprime videtur apta. Beneficium CEDENDARVM ACTIONVM ſubtilius eſt, quam vt ſimplicitati naturæ conueniat. Nihil enim cedi poteſt, cum ſoluo, quod debeo: ac, ſi ſolui nihil profecto amplius debetur; adeo tota creditoris actio eſt deleta.

§. XLV.

CONTRACTVS ALEAM CONTINENTES hominum fraudulenta auaritia, otii cupiditas, litium abundantia prohibendos ſæpe ſuadent. Hinc in aleatores apud Romanos odium: quanquam nimium rigidi videntur, qui vrnas fortunæ, quod auaritiæ hominum excitandæ inſeruiant, abſolute illicitas pronunciant. Obſtruxit os ea ratione philoſophantibus *Iohannes Clericus* peculiari in hanc rem ſcripto libello, *de eo quod eſt iuſtum circa lotarias.* Cumque in ludos fortunæ pariter excandeſcant nonnulli, eosque abſolute damnent; *Barbeyracius* calamum prehendit, elegantique libello Gallico: *du Jeu*, diſſentientibus prouidenter reſpondit.

§. XLVI.

In CVLPARVM præſtatione nihil mutamus: quanquam eſt, qui nuperrime contendit,

Romanorum ICtorum hac in cauſſa ſapientiam nec prædicari ſatis, nec perfectius tradi potuiſſe quidquam.

§. XLVII.

De futuris alimentis ne *priuatim* TRANSIGATVR, ideo Romani prohibuerunt, ne alimentarius aliquid remittens Reipublicæ oneri ſit. Errori vero tribuendum, de *matrimonio*, ceu re ſpiritali, tranſigi priuato arbitrio non poſſe. Si alia ratio mouet Imperantes, quare huiusmodi transactiones vetent, toleranda eſt Legislatio.

§. XLVIII.

Ne quis TESTAMENTI TABVLIS NON INSPECTIS tranſigat, iidem Romani nunquam præceperunt. In curia *Triboniani* & pragmaticorum error huic opinioni locum fecit: quod *Schultingius* ac *nos* quoque ſingularibus diſſertationibus excuſſimus.

§. XLIX.

Eſt ſimiliter falſum, valuiſſe transactionem de *criminibus*, SANGVINIS POENAM inferentibus. Aliud plane *Diocletianus* & *Maximianus* reſcripſerunt, quod *Noodtius*, vir clariſſimus, ſingulari *Commentatione* oſtendit. Nec ita unquam deſipuere Romani.

§. L.

De SOLVTIONIBVS nihil eſt, quod moneamus amplius: niſi quod interdum Respublica aliud circa monetam, & modum ſolutionis ſolennem adiiciat: quemadmodum eadem

eadem *oblationis*, *obſignationis*, & *depoſitionis* formam deſcribit, atque ordinis gratia nonnulla addit.

§. L I.

Compensare ſicut idem eſt, ac ſoluere; ita *res meræ facultatis* videtur. Sed habent ſæpe imperantes, quare compenſationem *prohibeant*, aliquid argumenti. Ita, ne fraudi locus ſit, *depoſiti*; ne *confuſio* in publicis rationibus ac calendario oriatur, pecuniæ, quam in genere debet ciuitas, compenſationem impediunt, cetera.

§. L I I.

De acceptilationibvs, quæ ſimpliciori ratione hodie fiunt, notæ ſunt Romanorum tricæ, nota Aqviliana stipvlatio, notus etiam canon, *eodem modo tolli obligationem, quo incepit.* Sed hæc tamen omnia rationis dictata non vrgent, neque cauſſa ſuppetit cogens, quare finis obligationis æqualis eſſe debeat initio. Sufficit, conſtare, me debitorem pronuntiare ab obligatione abſolutum. Romani vero *verborum obligationes verbis* tantum poſſe tolli credebant: eodem nimirum genere, quo eſſent ligatæ. Reliquæ, quæ verbis contractæ non erant, nec verbis, nec pactis diſſoluebantur. Igitur circuitu vtebantur, & alteras in verborum obligationes, per ſtipulationem, a *Gallo Aquilio* inuentam transfundebant: ac dein noua ſtipulatione tollebant. Qui cir-

cuitus admodum eſt artificioſus. v. AVERANII *Interpret. Jur. l. c. XII. §. V.*

§. LIII.

De *confuſione*, aliisque modis tollendi obligationes nihil; de CESSIONE autem id adhuc adnoto, finxiſſe hic Romanos procurationem in rem ſuam, vt ceſſionarius quadantenus mandatario ſimilis fieret: vtut alias mandatarius non retinet, quod ex mandato conſequitur, ſed reddit; eoque procurator in rem ſuam non eſt merus mandatarius, aut procurator tantum.

§. LIV.

NOVATIO ſicuti a nouando dicitur, ita obligationi vel adiicit aliquid, vel eam immutat prorſus. De *adpromiſſione* nunc dicendi locus non eſt: adpromittit quoque, qui fideiubet. Ergo de immutatione ſermo nunc ſit. Vbi *mutatio* obligationis, ibi *vetus* interit, & *noua* oritur. Si noua oritur, non ſane manent veteris acceſſiones. Vnde fideiuſſio ſoluitur, & pignora ceſſant. Qui ſecuritatem promiſit de depoſito, non promiſit pro mutuo. Idque & naturali iuri convenit, & arbitrario, vt tollantur *acceſſiones*, ſublata obligatione principali.

§. LV.

DELEGATIO proprie dicta commutatio eſt, puta, creditorum & debitorum. Qui debet mihi, ſoluiſſetque, debet nunc Caio & ſoluit: prorſus ac ceſſus debitor ſoluit ceſſionario,

nario, qui alius eſt & a me diuerſus. Si quid differentiæ occurreret, *delegatio* forte haud male diceretur euidentior *ceſſio*: delegato clare acceptante ceſſionem, & cedente ceſſum debitorem immunem perſpicue pronuntiante. Quod illuſtrationis gratia prioribus *cap. XXIII.* propoſitis adiiciendum duxi.

CAPVT XXVI.

DE CONIVGIO.

§. I.

VTut CONIVGIVM non eſt contractus Romanus, quoniam non adeſt res veniens in commercium; tamen, cum homines non more pecorum genus ſuum propagare debeant, ſed pactis, quæ ratione firmitudinis, contractibus ſimiles ſunt, huiusmodi *conſociatio* coaleſcat; hic contractuum doctrinæ merito ſubiicitur.

§. II.

Et velle autem Deum, vt genus humanum immortale efficiatur, nihil ambiguitatis habet.

§. III.

Idcirco ante omnia quæritur, quomodo eiusmodi ſocietas *coagmentari* debeat? Et puto,

puto, MODVM & finem iam in idea propagationis *generis humani* latitare. Neque enim is genus humanum multiplicare videtur, qui brutis ſeſe iungit, aut ſui ſexus perſonas eligit, aut cum femina coeundo eam prægnantem efficit, ſed qui fœtum ad obſeruantiam legum, per ſollicitam educationem, ita diſponit, aut ſaltem diſponere adlaborat, vt ne bruteſcat, & homini rationali diſſimilis euadat.

§. IV.

Igitur *ſocietate* opus eſt, in qua coniunctis viribus eo connitantur paciſcentes, vt ſobolem generent, eamque rite educent, ac rationalem efficiant.

§. V.

Ad hanc ineundam obligantur, qui *commode* poſſunt, nec continere ſe ſciunt: quod e natura omnium præceptorum affirmantium fluit.

§. VI.

Omnis vero *ſocietas arbitraria* CONSENSV perficitur. HVNC ſæpe tractatus præcedunt, dein promiſſio ſeria *inchoat*, conuentio de nuptiis *perficit*, quæ nomen SPONSALIORVM gerit, ac *ſolenniter* repetita promiſſio & cohabitatio *abſoluit*, quod negotium NVPTIARVM nomen nanciſcitur.

§. VII.

Omnes hi actus, vti non ſemper obſeruantur; ita de iure naturæ, vt ſeorſum occur-

currant & exiſtant, neceſſe non eſt: quamuis mos populorum ferat, dicente HVBERO, *vt ſolum conſenſum* SPONSALIA *vocent, eosque* SPONSOS *qui tantum conſenſu matrimonium inierunt.*

§. VIII.

EDVCATIO vero non *momentaneam* ac volaticam vitæ ſocietatem requirit, ſed *durantem*, quæ eo perfectior eſt, quo amor eſt perfectior, & diuturnior.

§. IX.

Vnde falluntur, qui ad coniugium non niſi voluntatem procreandi prolem neceſſariam dicunt.

§. X.

Eſt id πρῶτον eorum ψεῦδος, qui CONIVGIA TRANSITORIA admittunt, & ſecedere viris feminisque, cum lubet vtrinque, permittunt.

§. XI.

Etſi enim id omne e conuentione talem ſocietatem ineuntium dependere videtur; tamen, ne *ita paciſcantur* mortales, ratio iubet, & externæ pacis conſeruatio exigit, vt ne bruti naturam adſumat partus in lucem editus.

§. XII.

Dicas: ſæpe euenire, vt vel mater parturiens, vel pater poſt nuptias diem obeant, aut mali mores ſocietatem initam ſoluant; repono, non eſſe videndum, quid fatum, perſi-

perfidia & neceſſitas efficiant, ſed quæ animi intentio hominum talem ſocietatem ineuntium & ratione vtentium eſſe initio debeat. Nec mouet, inde tamen non conſtare de neceſſitate perpetuæ vitæ conſuetudinis, quamlibet ad propagationem rationalem requiratur ſocietas ſatis diuturna. Reſpondeo namque, *perpetuum* præualere *diuturno*: deinde cum coniugium AMICITIA ſit, ob quam coniux vnus alteri auxiliares manus porrigat, NOVA nunc oritur ratio, quare indiuidua vſque ad mortem vtriusque manere conſuetudo: ac de tali amicitia ſeruanda iniri debeant pacta, ſoleantque.

§. XIII.

Ex quo elucet, quare ſcriptura ſacra, quæ *perfectionem* & honeſtatem in omnibus hominum actibus, quoad fieri poteſt, commendat, perpetuitatem præcipiat.

§. XIV.

Patet inſimul, DIVORTIA, quæ clariſſimam cauſſam non habent, ſuapte natura repugnare pacto de amicitia perpetua ſeruanda; coniugiumque rationale, quod hanc pro fundamento habet, aliter ſane iniri nequit. Coniugium *irrationale* vero non eſt coniugium: conciditque quæſtio, an talis coniunctio ſit iuſta, aut honeſta, aut decens? Irrationale neutrum prædicatorum admittit.

§. XV.

§. XV.

Vnde, quid de CONCVBINATV ſit dicendum, conſtat. Nam ſi concubina dicatur, quæ libidinis gratia adſumitur, non affectione maritali; ſed ad tempus, claret, eiusmodi ſocietatem aduerſari & temperantiæ, & amicitiæ, quæ, niſi ſit continua, videtur imperfecta; eoque iuris ſenſu, non erit amicitia.

§. XVI.

Quod ſi vero *concubina*, quæ Romanis appellatur *pellex*, vxore viuente, in domum inducitur, tum videndum, ſit ne id contra pactum antecedens, nec ne? Si prius, *fidei violatio* & *adulterium* adeſt; ſin poſterius, tum quidem nihil pacto contrarium admittitur; ſed occurrit mentis perturbatæ vitium certiſſimum.

§. XVII.

Quæ conſideratio eo nos ducit, vt ſimul, quæ de POLYGAMIA diſceptantur, intelligamus. Polygamia muliebris, ſeu πολυανδρία ſcopo coniugii duplici argumento repugnat. Experimentis enim conſtat, mulierem, quæ cum multis conſueſcit, vix parere, &, ſi pareret, educatio haud dubie male procederet. Quæ rationes tam ſunt perſpicuæ, vt nulla gens vnquam ſit inuenta, quæ ab illis receſſerit, & plures FEMINÆ maritos permiſerit. Vix mentem percepere meam, qui contrarium ex annalibus de-

demonſtrare ſunt conati. Putant illi, ſexcenta inueniri exempla feminarum, quæ pluribus ſeſe maribus ſubſtrauerint. In quo recte arguunt. Sed mares non ſunt illico mariti, quos coniugio ſibi copulant libidinoſæ mulieres. Feminæ vero meretricio more viuentes non ſunt adſciſcendæ ex vetuſtis hiſtoriarum libris. Occurrunt vndique.

Dicatur de Matre *Papirii*, aliisque feminis Romanis, quæ plurium Maritorum conſuetudinem vrgebant.

§. XVIII.

Polygamia virilis autem, ſeu πολυγυνία vtut procreationem ſobolis non impedit; vix tamen promouet, ſed libidinem & intemperantiam arguit, educationis onus difficilius reddit, ideoque ſic paciſci nemo cum ratione poteſt: vt de imprudentia nihil addam, itemque *de populis orientalibus polygamis, numeroſa prole carentibus.*

§. XIX.

Factis *Patriarcharum* aliorumque hominum ſanctorum opponimus: non eſſe exiſtimandum, omnes eorum actus fuiſſe ſanctos, incorruptos & rationis pleniſſimos. Qui eos imitari geſtiunt, in iis imitentur, quæ rationi videntur *exacte* congruere: immo non ſequitur, Patriarchas ius naturæ accurate ſemper obſervaſſe.

§. XX.

Secundæ nuptiæ vero etſi apud veteres

es *minus honoratæ*; tamen iure naturæ legitimæ ſunt, cum in iis requiſita coniugi inueniantur.

§. XXI.

Coniugii FINE conſtituto, & quæſtionibus eo pertinentibus definitis, ſine negotio nunc intelligitur, ad *eſſentiam*, ſeu naturam matrimonii pertinere, vt contrahentes matrimonium apti ſint ad concumbendum, & educandum, & cum aliis viuendum.

§. XXII.

Vnde *impotentia*, *eunuchiſmus*, *ſterilitas*, *inſania deſperata* iſtud partim impediunt, partim ſoluunt.

§. XXIII.

VIRGINITAS eo non pertinet, niſi, quæ ducitur, pro tali ſeſe venditet. Et tum matrimonium nullum eſt ob *dolum* a perſona contrahente commiſſum, & deficientem partis alterius conſenſum.

§. XXIV.

Coniugium autem virgineum repugnat, eſtque, ſi vſu venit, amicitia potius ſolenniter contracta, quam coniugium.

Dicatur de *Henrici II.* & *Kunegundæ* connubio.

§. XXV.

Nec dubitandum, quin quæuis malitia coniunctionem impediens, eaque *moraliter*, ſeu iuris ſenſu, immutabilis, diſſolutioni iure naturæ occaſionem præbere poſſit. Vti enim de adulterio nemo ambigit; ita eadem

ratio

ratio in ceteris cauſſis militat. Quis enim cum tali perſona vna viuet, aut viuere poterit, quæ vitæ meæ inſidias ſtruit, quæ perpetuo ebria eſt & ſordida, quæ me deſerit? cetera.

§. XXVI.

Male vero rationes ſubduxerunt quidam *Iudæi*, & cum iis *Miltonus*, qui ob quamcumque diſplicentiam matrimonii vinculum cenſuere rumpendum.

§. XXVII.

Vti vero facultas ad ſobolem procreandam *phyſica*; ita etiam *moralis* requiritur. Nefas enim habetur ducere uxorem, quæ tibi vel conſanguinitate, vel affinitate eſt proxime coniuncta.

§. XXVIII.

Consangvinitatis natura, ipſo nomine ſubmonente, communionem ſanguinis earum perſonarum inuoluit, quarum vna vel generauit, vel generata eſt, eoque ex vna ſtirpe deſcendunt.

§. XXIX.

Affinitas eſt *extenſa* ad perſonas concumbentes *conſanguinitas.*

§. XXX.

At quodnam notiſſimæ huius prohibitionis ſit fundamentum, diſceptatur?

§. XXXI.

Doctores hic varia comminiſcuntur. Mea ſic eſt ſententia, non quidem eiusmodi coniun-

iunctiones externæ paci repugnare; ſed repugnare tamen caſtitati, eoque a Romanis appellatas eſſe inceſtas, libidinoſas, repugnare pudori, quatenus hic indecentiam ſonat. Quod autem virtuti aduerſatur, licitum ſane cenſeri non debet. Et DEus vero non ſolum vult, vt ſimus iuſti & externe tranquilli; verum etiam ne pactum huiusmodi, vel ſocietatem ſectemur, affectus immoderatos ſtabilientem.

§. XXXII.

Ceterum facile eſt oſtenſu, neminem cum *parentibus*, aut *liberis* appetiturum coitum, niſi ſit extreme libidinoſus, & impudens, neminem *nunc* cum fratre ſororeque, aut perſona per concubitum familiæ inſerta, niſi eodem œſtro, aut alio affectu irritetur. Dico NVNC; cum orbis eſt vtriusque ſexus hominibus oppletus, ac turpe putant *ſapientiores*, conſueſcere cum fratre, ſorore, ac ſanguine propinquis; idque bona educatio præcauet, & horrorem & pudorem a teneris iniicit animis mortalium. Contra hunc pudorem ac morem *bonum*, quis ineat matrimonium? aut, cum ſtimulum huiusmodi ſentit, non ſimul animaduertat, aberrare iſtum a regula? Qui liberorum Adami & Noachi connubia obiiciunt, vix perpendunt, ea ex neceſſitate coaluiſſe. Quod *neceſſario* fit, ob libidinem non fit; eoque *inceſtum* vix eſt. Ex quo

X ſimul

ſimul patefit, quare non fuerit inceſtus, quando *Levir* fratris ſui viduam vxorem duxit. Neque enim id ex libidine fiebat. Sapiens, quidquid a bono ordine declinat, omni ſtudio deuitat; ſimul-atque cauet, ne promiſcua matrimoniorum licentia offenſioni occaſionem præbeat. Quod forte in cauſſa fuit, cur a fratrum ſororumque nuptiis ordinarie abſtineretur. Neque enim placere Deo poteſt libido præceps & inconſulta, quam nuptiarum permiſſio non tam refrænaret, quam promoueret.

§. XXXIII.

At cum hæc tamen philoſophia paullulum ſubtilior non omnibus, qui alio vagari cogitationes patiuntur, ſatis clara ſit; hinc DEus eam *Iudæis*, qui ipſi non erant caſtiſſimi, & inter voluptarias gentes educati, diſtinctius ante oculos poſuit, & ſcriptis in hanc rem legibus explicatius tradidit.

§. XXXIV.

Vtrum vero iſtæ alios quoque homines, *præter Iudæos*, ſtringant, ad quæſtionem facti pertinet, de qua in vtramque partem perplura dicuntur. Mihi ita videtur: eſſe exploratum, DEum nolle, vt homines libidinibus inquietentur, ſed eas, quoad licet, eiiciant, & ſibi ipſis limites ponant. Quod cum plerique negligant, voluiſſe itidem, vt Chriſtiani, qui e Iudæis primum

pro-

prodiere, eandem temperantiæ legem obſeruarent, vtpote quæ rectæ rationi congruit, nec e figura Reipublicæ, nec Leuitico cultu deſcendit. Neque enim adeo abſona, quam *Campegius Vitringa* defendit, ſententia eſt, Chriſtianos eſſe IVDÆOS REFORMATOS. Inde eſt, quod *Ioannes*, qui Chriſti erat antecurſor, *Herodi* iſtud celebre *non licet*, occinerit.

§. XXXV.

Altera quæſtio, vtrum tantum ad *perſonas* in legibus Iudæorum *nominatas*, an ad rationis paritatem ſit reſpiciendum? e doctrina hermeneutica decidi debet. Iam vero cum in omnibus Legibus interpretandis regula valeat: vbi eadem eſt ratio, ibi eadem eſt legis diſpoſitio, conſequitur, vt etiam ad has leges exponendas eadem ſit applicanda. Exempla & opiniones recentiorum Iudæorum nihil in contrarium probanti Sat enim ſcimus, eos a morum integritate, & religionis ſimplicitate mirum in modum deſciviſſe. Cauſſæ, quas *Grotius* e recentioribus Rabbinis in medium tulit, peculiares, ſatis ſunt a viris doctiſſimis exploſæ: vt taceam, ſi tantum perſonas nominatas ducere, aut nubere iſtis non liceret, fratri poſſe nubere ſororem.

§. XXXVI.

Quid autem GRADVS, quæ COMPVTA-

TIO ſequenda, partim in iurisprudentia particulari, partim Theologia copioſius docetur.

§. XXXVII.

IMPERIVM, quod alias marito competere in vxorem dicitur, omiſimus, partim, quod iſtud ex natura ſocietatis & amicitiæ, quam colunt vir & vxor, non conſequitur, partim quod in ſacris litteris non proditur diuerſum.

§. XXXVIII.

Ius vero diligendi, quod marito tanquam prudentiori tribuitur, non eſt imperium proprie dictum.

Conf. quæ *cap. III.* §. *LI.* dicta ſunt.

§. XXXIX.

Inde fit, vt nec in foro hodie *imperium maritale* ad facultatem infligendi verbera extendatur.

§. XL.

Quin facit potius *arcta*, quam deſcripſimus *ſocietas*, vt, ſecundum ius naturæ, mutuum aliquod ius coniugibus in bona competat.

§. XLI.

Dos enim ex lege humana & pacto venit; communio naturæ coniugii fere conuenientior videtur.

§. XLII.

Hinc & cura bonorum mulieris, quæ Viro apud nos vt plurimum tribuitur, lege ciuili accepta ferenda.

CA-

Caput XXVII.

DE CONIVGIO IN STATV LIBERTATIS.

§. I.

ET qui in libertate viuunt, homines ſunt, & genus ſuum propagant: hinc nihil iis amplius in plerisque ratio indulget, quam hominibus ſingularibus, & ſub imperio viuentibus.

§. II.

Quocirca ſi vxorem ducere, vel nubere feminæ illuſtres cupiat, ad coniunctionem rationalem obligantur.

§. III.

Idem vitium, quod *polygamiæ*, *concubinatui*, *diuortiis* ſine cauſſa, *inceſtis nuptiis* adhæret in genere, eorum quoque coniunctionibus, ſi aberrent a ſcopo, adhærere merito cenſetur: vtut plus ſibi permittunt vulgo in excelſo ætatem agentes.

§. IV.

A CONCVBINATV vero differt, quod vulgo vocant, ad MORGANATICAM (*) coniugium, quando & amori & conſcientiæ & dignitati obſequi cupientes feminas ignobiles ſibi adſciſcunt, ſine præiudicio liberorum prioris matrimonii, vel agnatorum. *Tales enim*, verba *Huberi* ſequor, *quo minus ſint veræ coniuges & matres familia-*

miliarum, quando nullum matrimonii requiſitum deficit, nihil obſtat.

(*) Quod Germani *Morgengabe*, id ſcriptores medii æui, atque Itali inprimis *morganaticum* appellitant. Talis enim femina vna cum liberis ſuis *morgengaba* erat contenta; hique ſucceſſionis incapaces ſunt ex regula.

§. V.

Imperium in vxorem etiam in hoc ſtatu aliud non eſt, quam præcedente capite ſignauimus, niſi pactum peculiare interueniat. Eo ceſſante femina libera libertatem retinet, nec marito, præter ius dirigendi, nouum, ob imperium ciuile, quod illa non agnoſcit, ius competit: vtut hic diſſentiunt Doctores; multaque inſulſa proferunt: in quibus eſt, neminem in territorio Principis agere poſſe, qui ipſius ſit exemptus imperio. Quod prorſus falſum. Fac namque, Reginam Sueciæ tendere aliquando in Haſſiam cum marito Rege, quis dicat, Reginam tunc fieri marito ſuo ſubiectam, ceu alii homines ac ciues?

§. VI.

Quæ Principes ſibi in *coniuges* aliquando permittunt, non tam iuris, quam facti illiciti ſunt.

§. VII.

Sed poſſunt tamen iidem proprio iudicio, quamlibet ſapienti, *diſcedere ab vxoribus*, & vxores viciſſim a maritis, ſi cauſſæ appareant

reant ſat graues. Non eſt neceſſe, vt id ſacerdotum, aut aliorum auctoritate faciant. Sufficiunt cauſſæ prægnantes, nec fictæ.

§. VIII.

Quod & in Germaniæ Principibus obtinet, quoniam ad imperii tribunalia eius rei cognitio non pertinet: Principes vero Euangelici Pontificis imperium merito faciunt flocci.

§. IX.

Eſt & iis permiſſum, vt *ſine* HIEROLOGIA, vtpote quæ e lege ciuili eſt, coniungantur. Rectius tamen agunt, ſi id non faciant, ſed more conſueto copulentur, ciuibusque exemplo bono præluceant.

§. X.

Quin poſſunt illi interueniente PROCVRATORE non tantum inire ſponſalia, ſed etiam conſummare per procuratorem matrimonium, præſertim cum ad conſummationem, & executionem pacti non tam carnalis copulæ, quam lecti genialis conſcenſio requiratur, idque & ratione & gentium more.

Diſſeratur de matrimonio *Maximiliani* cum *Anna* Britannica. An hæc fuerit adultera?

§. XI.

COMMVNIO inter Coniuges principes, etſi ad priuata bona ſeſe extendit, & extendere poteſt; tamen ad imperii communionem non pertinet, quippe quod voluntati populi acceptum fertur.

Dicatur de Imperatoribus Romanis, de *Theodora* IVSTINIANI Coniuge, de apologia *Paganini Gaudentii*, de Reginis Teutoniæ.

§. XII.

Sed inualuit tamen, nec rationi contrarium eſt, vt DOTEM afferant nunc quoque feminæ principes, hisque viciſſim DOTALITIVM ſtatuatur, quod voluntate paciſcentium & more determinatur.

§. XIII.

Neque enim abſolute neceſſarium eſt, vt *dotalitium* in compenſationem dotis conſtituatur; ſicuti nec abſolutæ neceſſitatis eſt, dici dotem. Saltem ante *Caroli M.* tempora Principum ac Regum Francorum vxores nihil apportabant dotis loco.

CAPVT XXVIII.

DE CONIVGIO IN STATV CIVITATIS.

§. I.

QVod ſi ſine vxore poſſent eſſe mortales, multis ſane moleſtiis carerent iidem. Sed quoniam ita natura & experientia tradidit, vt nec cum illis interdum ſatis commode, nec ſine illis vllo modo viui poſſit, hinc ſaluti perpetuæ ducentium ac nubentium ciuitas conſulit.

§. II.

§. II.

Conſulit nonnunquam *prudenter*, aliquando vero *ſuperſtitioſis* innixa rationibus proſpicit.

§. III.

Prudentiæ eſt, non permittere, vt ſine ſolenni conſenſu in eiusmodi ſocietatem, quæ indiuidua & perpetua eſſe debet, ruant ſpondentes.

§. IV.

Hinc parentum conſenſus, hinc teſtes ſæpe requiruntur, quorum numerus pro arbitrio definitur: hinc etiam, facilioris probationis gratia, ARRHÆ dantur: ac iure inuiſum eſt CLANDESTINVM.

§. V.

At perquam abſurdum eſt, e *ſponſalibus clandeſtinis*, concubitu accedente, fieri publica, quantumuis vulgo affirment.

§. VI.

Valida SPONSALIA, quamlibet ſeruanda ſint, & is quoque peccet, qui parte altera inuita recedere a pacto vult; non video tamen, quare mutuo diſſenſu, vt cetera pacta, diſſolui nequeant.

§. VII.

Sed obtinuit in praxi alia ſententia, poſteaquam ſpiritale continere eiuscemodi conuentionem firmiter cœpimus credere. Sunt quidem nonnulli, qui hunc apud Euangelicos morem e iure arbitrario Principum deducunt,

ducunt, eosque valde reprehendunt, qui analecta papiſmi ſe in iſto putant agnoſcere. Sed errant certe denuo. Propterea namque tale ius arbitrarium inualuit, quod ſpiritale ſubeſſe matrimonialibus exiſtimatur.

§. VIII.

Ex eo etiam eſt, quod, etſi alias ad factum nemo facile cogitur, per exſecutorem in templum ducatur repugnans, vt ibi inuitus vxorem ducat. Quod quam ſit abſonum, ii facile vident, qui ad amicitiam & ſocietatem arctiſſimam cogi poſſe neminem intelligunt. Vt acerbe puniantur violatores pactionum ſuarum, rationem habet ſummam. At ipſo eos matrimonio affligi ac perpetuis peccatis anſam ſic dari, oppido iniquum videtur.

§. IX.

Ceterum non eſt improbandus mos, vt publica nuptiarum ineundarum PROCLAMATIO fiat, ne aliquod impedimentum lateat. Modus proclamandi vt arbitrarius, ita variat: nec omnibus in eccleſiis eſt receptus; vtut conſtat, eum eſſe apud Francos primitus ortum. v. ALTESERRA de *bannis eccleſiaſticis*.

§. X.

Adhibetur quoque non male apud Chriſtianos HIEROLOGIA, *&* *ſacerdotalis benedictio*: vtut non eſt abſolutæ neceſſitatis, & *abrogari* poteſt, niſi aliæ conſiderationes ob-

obſtent. Omnia enim, quæ ſunt arbitraria & adiaphora ex arbitrio mutantur, vtut prudente.

Dicatur, quomodo *benedictio ſacerdotalis* inualuerit pedetentim.

§. XI.

Imperivm in vxorem latius, quam dictat naturæ ius, partim *pactis*, partim *more* protenditur. Romani olim ius vitæ ac necis in vxores maritis conceſſerant, quæ ſibi erant filiarum loco.

§. XII.

Ea *permiſſio*, vtut forte dura, non tamen prorſus videtur iniqua, aut iuri naturæ repugnans. Quidquid enim tum maritus facit, publicæ rei nomine facit; quæ, vt delinquentes ipſa punit, ita per alios punire poteſt, ſi adſit delictum morte dignum.

§. XIII.

At caueant interea ICti, ne, vbi talis duritia recepta non eſt, nimium indulgeant iracundis maritis, eoque immodeſtiæ ſtigmate notentur.

§. XIV.

Et quemadmodum vero imperantes affectibus & libidini ſubiectorum quaſcunque occaſiones præſcindunt; ita liberum iis eſt, ſignare *gradus conſanguinitatis*, ac definire *affinitatis genera*, ac ſpecies, ne limites honeſtatis facile migrentur.

§. XV.

§. XV.

Sed dubium non eſt, quin in hac quoque cauſſa *auaritia* prohibentium, ac *ſuperſtitio* ſæpe obſeruetur.

§. XVI.

Circa DIVORTIA vera ſunt, quæ cap. XXV. monuimus. At inualuit error, e peruerſa verborum Chriſti interpretatione reſultans, non niſi ob *adulterium*, aut quæ huic ſimilis videtur, *malitioſam deſertionem* vinculum matrimonii poſſe ſolui. Ad oculum ψευδερμηνείαν *Seldenus* oſtendit; quidquid in contrarium moueant Viri celeberrimi.

Diſſeratur de occaſione præcepti Chriſti: de ſectis Iudæorum de diuortiis litigantium. Conſiderentur ſimul, quæ vir clariſſimus, *Joannes Franciſcus Buddeus* Seldeno obiiciat. Putat is, Chriſtum non prorſus *Schammæanorum* ſententiam approbaſſe, vt qui propter laſciuiam, libidinem atque impudicitiam diuertendi libertatem permiſiſſent; Chriſtum vero *ſolum adulterium*, &, quod huic ſimile eſt, pro cauſſa legitima agnouiſſe. Quod poſtremum is interea perſpicue non probat. vid. eius *Theolog. moral.* pag. 761. Eſt enim exploratum, *Hillelianos ob quamcunque cauſſam* diuertendi ius indulſiſſe maritis. Chriſtus id negat; atque ſic ſeueriorem *Schammæanorum* doctrinam probat. Hi vero, præter adulterium proprie dictum, laſciuiam, inuerecundiam, alias cauſſas graues admittebant, inque lege Moſis hanc latitare interpretationem contendebant. Itaque eo res redit, an Chriſtus aliquid Schammæanorum doctrinæ detraxerit, & duntaxat adulterium proprie dictum pro cauſſa diuortii habuerit? hocque voce πορνείας ſigna-

ſignauerit? Et nou putem. De adulterio nec ipſi Schammæani dubitabant: inque hoc conſentiunt Chriſtus & Schammæani certiſſime. Quomodo igitur dici poteſt, in ceteris Seruatorem Schammæanorum explicationem reieciſſe? Dices: Schammæani cauſſam adulterii in Moſis verbis inueniri nunquam vel ſtatuerunt, vel hariolari potuerunt, quia adulterium ex lege Moſis capitali pœna afficiebant. Quæ reſponſio premit ſimiliter diſſentientes. Nam qua ratione potuit Chriſtus quoque adulterii mentionem iniicere, quod & ſuo tempore apud Iudæos crimen capitale? Itaque Chriſtus ſine dubio reſpondit, ad mentem Schammæanorum, graues in diuortio cauſſas flagitantium, qualis ſit πορνεία, adulterium, laſciuia, cetera.

§. XVII.

SEPARATIO quod ad menſam & torum perpetua, ſenſu iuris, diuortium eſt: ſed fingitur tamen, durare vinculum ſpiritale, quod, neſcio quibus rationibus ineptis ſtabiliatur, vtut fatendum, vetuſtiſſimum eſſe hunc errorem, atque a Patribus iam primis ſeculis admiſſum. Rectius noſtri talem ſeparationem concedunt ad tempus, vt concilientur ſibi altercantes, & ad frugem bonam redeant.

§. XVIII.

Interea, cum non ſtatim ciuibus ſit credendum, ſi mores intolerabiles, aut perfidiam coniugis accuſent, cauſſæ cognitio præcedat oportet, nec priuato cuiuis eius rei

rei iudicium permittendum; eoque Romani hac parte extra oleas ſunt vagati: quorum decreta ſicuti non ſequimur hac parte; ita Iudæorum licentiam, ratione ac Chriſti doctrina prælucente, merito reiicimus.

§. XIX.

Id quæri dignum, an CONCVBINAM exercens & *polygamus* in ciuitate queant bona conſcientia tolerari? Et putem. Nam etſi, qui ita affectibus indulgent, videntur imperfecti; non eſt tamen receptum, vt propter quaſcunque imperfectiones ciues eiiciantur e ciuitate. Toleramus ebrioſos, auaros, iracundos, & aliis ſæpe petulanter inſultantes. *Tolerare* autem non eſt *approbare*: meliusque interea acturum Principem pronuntio, ſi, quando ſine periculo reipublicæ fieri poteſt, id genus concubinos & concubinas haud toleret, nec polygamis faueat vnquam.

§. XX.

Iam vero cum ex hypotheſi Romanorum DOTES fere vndique invaluerint, hinc non ſolum de corporibus, ſed bonis quoque communicandis pactiones fiunt, vt perſonæ coniunctæ ad earum *tenorem* vitam tranſigant: communione interea multis gentibus placente.

§. XXI.

Dos autem rem ponit vel incorporalem, vel corporalem, eamque vel mobilem, vel immo-

immobilem, qua maritus fruatur ad *onera* matrimonii ferenda.

§. XXII.

Ea vt pactis & conuentione definitur; ita vel vere *numeratur*; vel *cauetur* verbis.

§. XXIII.

CAVTA exigitur, NVMERATA dominium dat, aut ius dominio ſimile, quamuis temporarium.

§. XXIV.

Dotem conſtituit vel ſponſa, vel pater, vel etiam aliquando mater, vel extraneus, cui Romani matrem adſimilarunt quoque.

§. XXV.

Eius *retentionem*, aut *redditionem* pacta finiunt. Vnde in priuato iure de *pactibus dotalibus* ſermo multus.

§. XXVI.

Vi DOMINII, ſeu iuris, quod adſcribunt iura Romana marito, lucratur fructus: quod ad fructus non pertinet, auget dotem. Sed idem tamen impenſas fructuum & publica onera ſuſtinet.

§. XXVII.

Res *mobiles* maritus pro arbitrio alienat; *immobiles* non item, niſi venditionis gratia ſint datæ.

§. XXVIII.

Quæ poſtrema conſtitutio, vtut cum principiis iuris primum conſtituti non cohæret, ſed *dominium* mariti fere extinguit; tamen cum

cum lege Romana (*) recepta eſt, ita vt, ne muliere quidem *nude* conſentiente, fundus dotalis rite alienetur.

(*) Lex *Julia* dominium mariti in fundo dotali reſtrinxit; ita vt deinde mariti dominium imaginarium fere viſum fuerit præclaris JCtis. vid. *Brenkmanni* Euremat. *cap.* V. p. 76. ſeq.

§. XXIX.

Recepta etiam fere ſunt priuilegia dotis, quamuis nonnulla naturali æquitati multis modis repugnent: in quibus eſt cum maxime *ius prælationis* mulieri a *Juſtiniano* indultum præ omnibus creditoribus *priorem hypothecam* habentibus.

§. XXX.

Data & admiſſa dote, admiſſa quoque eſt *antipherna*, ſeu ἀντιφερνὴ κωμα in ſecuritatem dotis: quin fabricatum quoque DOTALITIVM, (*) in eius compenſationem, vt confuſio fieret maior. Vix enim iuris materia tot litibus eſt expoſita, quam quæ agit de dotalitio, vtpote quod non nihil e more Germanorum retinuit, in quibusdam vero dotem præponit, eamque conſumere & compenſare creditur. Qua commixtione ſemel approbata neceſſe fuit, vt in concluſionibus infinitæ controuerſiæ ſurgerent: quæ etiam eſt querimonia illuſtris *Cocceii.*

(*) Non equidem ignoro, quam plurimos venditare *dotalitium* pro dote Germanica. Sed acutius vident, qui novam hic κτίσιν obſeruant, compoſitam e dote Teutonica, Romana, ac donatione

ne propter nuptias: hinc eſt, quod ferme nulla in prouincia homogenea inueniatur conſuetudo, vel legislatio.

CAPVT XXIX.

DE PARENTVM ET LIBERORVM SOCIETATE.

§. I.

QVi coniugium intrant, de liberis generandis aut cogitant, aut cogitare ſaltem debent.

§. II.

Liberi *educandi* ſunt. Ad EDVCATIONEM *imperio* opus eſt. Vnde recte *Lockius* illud *naturale* appellauit, hoc eſt, nexum cum educandi onere habens naturalem.

§. III.

Quo obſeruato vaneſcunt ſane lites omnes, quas idea IMPERII proprie dicti excitauit, vtpote quod conſenſum præponit. Vnde. *Puffendorfius* aliique varia de *conſenſu tacito* & *præſumto* ſunt commenti.

§. IV.

Ea ratione nec opus erit conuellere cum *Hobbeſio* argumentum *Grotii*: generarunt Parentes, ergo imperant. Non enim Parentes tantum, cum coit inter eos ſocietas,

 cietas,

cietas, ad generandum ſeſe obligant, verum etiam educandum & *formandum* partus ſui mores, ne homini fiat diſſimilis.

§. V.

Formare mores ſignificat dirigere & excitare intellectum eorum, qui illo vti nondum poſſunt, vt faciant, quod hominibus eſt præſcriptum.

§. VI.

Vſus intellectus ſeſe vix exſerit, niſi remoueantur impedimenta. Impedimenta in hominibus ſenſus conſulentibus nonnunquam vi reſecanda ſunt, quæ ceſſat, ſi ipſimet, prælucente intellectu, faciant, quod ſui eſt officii, aut aliorum dicta audiant.

§. VII.

Quocirca non videtur neceſſe, vt factum, præter conſenſum parentum, exigatur, aut *belli*, aut *captivitatis* quoddam ius cum *Malmesburienſi* effingatur, quo fœtus in poteſtatem matris, & deinde, interueniente pacto, ſub patris imperium redigatur.

§. VIII.

Ergo patria poteſtas non *patri* propria eſt, ſed *matri* communis, quia educandi onus eſt commune: vtut Pater ob intellectum excellentiorem partes gerit potiores.

§. IX.

Ergo etiam expositio partus, aut eius *cædes* iuri naturæ contraria eſt, quoniam homo eſt, quem nemo licite lædit & occidit:

vt

vt obligationem de educatione tacitam ſilentio inuoluam.

Inquiratur, quare Romani expoſitionem partus permiſerint aut non puniuerint aliquando? Differatur de *Noodtii* Julio Paulo, eiusque controuerſia cum *Bynkerſhoeckio*.

§. X.

Poteſtate Parentum vero ad educandum reſtricta, liquet, non eſſe illam *maieſtatem* appellandam, aut *regiæ* aſſimilandam, aut cum *heri* auctoritate in pari collocandam, vtpote cui vulgo dominium ſerui tribuitur.

Notetur *Filmerus*, Anglus, quem *Lockius in* tractatu de *gubernatione ciuili* confutandum ſumſit.

§. XI.

Liquet itidem, non eſſe *ius vitæ & necis*, aut *vendendi* liberos ad hunc ſcopum neceſſarium, niſi *neceſſitas* ſumma & *paupertas* vrgeant, aut hoſtem induat filius. Sed tum vero Pater eum occidit vt hoſtem, quod aliis etiam, præter patrem, non eſt prohibitum. Ceteroquin *caſtigandi poteſtas* ſufficit.

§. XII.

Ex educationis neceſſitate fluit obligatio *ad alendum* pro facultatibus parentum.

§. XIII.

Sub ALIMENTIS etiam ſumtus comprehenduntur ad animum rectius perficiendum.

§. XIV.

Iuri parentum ex parte liberorum reſpondet *obligatio*, qua imperium & directionem

eorum admittere, & eos venerari ac commoda illorum promouere omni modo obſtringuntur.

§. XV.

Hinc nullum illi actum ſcopo Parentum honeſto contrarium ſuſcipere poſſunt.

§. XVI.

Ius in *bona liberorum* non quidem ἀμέσως e patria poteſtate fluit; ſed æquum tamen eſt, vt, quamdiu pars ſunt familiæ, fructus & reditus bonorum maneant penes parentes, quo illis onus educandi reddatur tolerabilius. Alias *coniugium* & *generatio* non videntur eſſe modi acquirendi dominium.

§. XVII.

Lvcra & pecvlia, quæ e patris ſubſtantia ad liberos profecta ſunt, non vt plene habeant, ſed adminiſtrent, ſecundum finem præfixum, manent eiusdem.

§. XVIII.

Vt vero *bona*, quæ aliunde obuenerunt, patris ſint *propria*, quod Romanis olim placuit, aut *is emancipationis præmium* conſequatur, ad ciuilia commenta pertinet.

§. XIX.

In liberorum numero habentur non tantum, qui ex iuſtis nuptiis ſunt procreati, ſed & ex inordinato concubitu concepti, *inceſtuoſi*, *naturales*. Vtut enim peccant parentes, qui affectibus indulgentes generant; tamen

tamen liberorum conditioni & patrio iuri naturali nihil inde decedit.

§. XX.

ADOPTIVI liberi, vti non ſunt naturales, ſed facto noſtro pro liberis ſuſcipiuntur; ita ſecundum pactum ſunt tractandi, alendi, atque interdum educandi. Quod vt arbitrarium eſt, ita *forma* & *finis* adoptionis pro *more* gentium, & contrahentium animi intentione variare ſolent.

§. XXI.

Vti vero liberi ex ephebis excedunt, & veſtimenta infantibus propria mutant; ita etiam libertatem accipiunt, quando ſe ipſos regere ſciunt, eoque patriæ poteſtati ſubducuntur, quando libertatis, quæ ratione ſuſtentatur, ſunt capaces.

§. XXII.

Quod ſi darentur, qui nunquam ad illum rationis gradum peruenirent, quales ſunt *lunatici*, dubium non eſt, quin ſemper a voluntate parentum dependeant.

§. XXIII.

Vt cum *Grotio* ſollicite tempora diſtinguamus, neceſſe non eſt. Incurrit liberorum virtus in oculos, & rationis debitus vſus: qui certe præſumitur, vbi ipſi ſeorſum agere, & rationes ſuas ſeparatas habere, occipiunt.

§. XXIV.

Vnde *ipſi* MATRIMONIVM inire poſſunt,

nec ad parentum conſenſum expetendum obſtringuntur iure ſtricto. Quicquid hic obſeruandum, virtus oſtendet, & gratus animus, qui virtutis index eſt.

§. XXV.

Sed fac vero, liberos manere in familia, & frui alimentis, tum ſane, vtut rationis vſu non deſtituuntur, actus accommodare ſuos arbitrio parentum debebunt, quamdiu fruuntur, & eorum carere auxilio nequeunt.

§. XXVI.

Sapiens autem pater non aliam obedientiam flagitabit, quam quæ liberorum, & veræ familiæ vtilitati eſt accommoda: reuerentia & gratus animus durabit, credo, perpetuo.

§. XXVII.

Sed caue vero obedientiam, aut reuerentiam exigas in iis, quæ pendent ab *intellectu*. Poteſt filius, cum ipſe ad maturam ætatem peruenit, modeſte diſſentire a patre: poteſt in ſacris & opinionibus deligendis ipſemet ratiocinari, & ſequi doctrinas, quæ ſibi videntur veræ.

§. XXVIII.

Patre moriente conſentaneum rationi eſt, vt MATER iam totum educationis onus ſuſcipiat. Non eſt naturale, vt *mater* vocetur *tutrix*.

§. XXIX.

§. XXIX.

Si mater non ſit, aliis TVTORIBVS opus eſt, qui educent pupillos.

§. XXX.

Tutores non conſtituit pater, multo minus mater. Deficit eorum voluntas, cum moriuntur.

§. XXXI.

Quicunque vero educationis onus ſuſcipit, eandem in impuberes & puberes nondum ſatis rationales poteſtatem iure poſcit, quam fere parentes.

§. XXXII.

Sed poſſunt tamen parentes viui, ſi ipſi impediantur, aliis liberorum curam committere; poſſunt etiam, ſi ſuis rebus ſufficiant, eos *de poteſtate* dimittere, ac *ſeparare*, quid? quod, cum obedire detrectant, *expellere*, quoniam alendi officium ceſſat, quando vel ingenio, vel manibus parare victum ipſimet poſſunt, vel is, qui educari debet, omnia ad educationem neceſſaria media proterue reſpuit.

CAPVT XXX.

DE PARENTIBVS ET LIBERIS IN STATV LIBERTATIS.

§. I.

ETiam ab imperio liberi generant homines & ad legum tenorem educare eosdem obſtringuntur; igitur & iis IMPERIVM competit.

§. II.

Idque non maius, quam *ceteris*, qui ſunt & vocantur *parentes*.

§. III.

Nam etſi inueniuntur, qui, extra ciuitatem, patriam poteſtatem ius vitæ & necis continere docent; puto tamen, eos miſcere poteſtatem, quæ patri competit, qua tali, cum illa, quæ ei propria eſt, tanquam capiti familiæ, aut Principi, qua in rebelles & minus obſequioſos nonnunquam vtitur & vti poteſt. Non autem ſunt confundendæ *perſonæ* diuerſæ, quas vnus gerit homo, ac gerere poteſt.

§. IV.

Hinc ſi *Philippus II.* rationis & argumenti ſat habuiſſet, nec alio affectu impulſus, *Carolum* filium rebellem iuſſiſſet occidi, culpari ſane non poſſet.

Dica-

Dicatur de arcanis *Philippi* rationibus, quas *Wilhelmus* Arauſionenſis partim in Apologia ſua detexit, partim etiam *alii* ſumma libertate detegere ſunt conati.

§. V.

Hoc autem imperium acerbum non *naturale* eſt, ſed ex alio facto, quemadmodum *ciuile*, deſcendit.

§. VI.

Quod ſi ipſe filius in ſolium eueheretur, ambigi non debet, quin parentes in Republica manentes filii imperio ciuili, tam ratione vitæ, quam fortunarum forent ſubiecti, quod profecto indicio eſt, ius vitæ ac necis in liberos imperiumque proprie dictum non tam e patria poteſtate, quam *aliunde* permanare. Et vt vero, imperio ciuili ſaluo, durat liberorum reuerentia; ita, eodem concurrente, poteſtas patria eſt ac manet ab iure vitæ ac necis imperioque proprie dicto diſtincta.

§. VII.

Ex quo iterum conſequitur, vt filius in rebus ad imperium pertinentibus non debeat reſpicere ad matris, aut patris voluntatem. Poteſt is dextrum patris latus occupare, eiusque auſis, ſi & ipſe Rex ſit, contraire, *cetera*: quemadmodum *Philippus Andegauenſis*, Hiſpaniarum Rex, auum reapſe anteceſſit, eique, neceſſitate poſtulante, isque

que huius ſeſe deſideriis potuiſſet, occaſione ſic ferente, obiicere.

§. VIII.

Hinc prouerbium inualuit, viros Principes *Melchiſedeco* videri ſimiles, vtpote qui nec patrem habeant, nec matrem, nec fratres.

§. IX.

Addo amplius, non videri IVRI naturali contrarium, ſi FILIVS *patrem* in carcerem compingat, & tandem occidat, vbi is ius eripere quæſitum ex ſe nato pertentauerit, aut turbas det, & rempublicam ſubuertere conetur. Quid virtus, prudentia ac decens ſuadeat, iam non diſquiritur.

§. X.

Vt aliquis ſibi ADOPTET filium in ſtatu libertatis, prohibitum cenſeri vix debet. Vt vero adoptet ad ſucceſſionem in regno, a populi voluntate dependet, niſi regnum in patrimonio ſit. Ita Sigismundus Imperator Albertum II. Auſtriacum, Hungarorum conſenſu, adoptauit, hicque ſocero ſucceſſit: de quo *Bonfinius* cum aliis *ſcriptoribus Hungaricis* conſulendus. Romanorum Cæſarum adoptiones ſicuti frequentes, ita, illarum interuentu, per obliquum ad imperium graſſabantur *adoptiui*. Directe adoptiones, ſine populi conſenſu, imperium dare non poterant.

§. XI.

§. XI.

De PRINCIPVM ac REGVM TVTELA pauci cogitarunt. Solus *Hertius* peculiarem ea de re diſſertationem conſcripſit.

§. XII.

Et eſſe vero eos in tutela, experientia docet. Tantum quæritur, quis iure ambiat, quis non? Quod antequam decidatur, obſeruandum eſt, ad *regiam tutelam* non tantum tuitionem perſonæ, verum etiam regni referri. Si poſterus omitteretur, dubium non eſt, quin, poſt mortem Patris, matri poteſtas educandi filium competat. Et hæc autem perperam *tutela* appellatur. Quod ſi vero regni adminiſtratio educationi addatur, ſubſiſto.

§. XIII.

Nam etſi *foeminæ* non ſunt prorſus incapaces, vt præſint territoriis, populisque; tamen non ſtatim ab educatione perſonali argumentum rite ad regni adminiſtrationem ducitur: præſertim, ſi regnum non ſit *in patrimonio.*

§. XIV.

In patrimonio enim ſi foret, quod tantiſper ponimus, donec in ſequentibus hæc controuerſia de regnis patrimonialibus finiatur & componatur, ambigendum non eſt, quin etiam matri in gubernando populo aliquid poteſtatis competeret. Populus namque eo caſu nullum ius, nullum arbitrium habet.

habet. Sin ſecus, tota res ad populi diſpoſitionem redit, qua maternæ ſæpe rectioni locus relinquitur. Sed quæ arbitraria ſunt, nullam regulam faciunt.

Differatur de tutela materna in Galliæ regno aliisque, quidue diſputatum ea de re ſit, indicetur.

§. XV.

Si mater non ſit, laudatus *Hertius* ad *teſtamentum* reſpicit. At huius rei deciſio tum a *præiudiciali quæſtione* pendet, an *teſtamenta* in ſtatu naturali aliquid firmitudinis contineant? tum ab *altera*, qua ratione ſub imperium defuncti conceſſerint ſubiecti?

§. XVI.

Ergo de propinquis in *regno patrimoniali* quæſtio remanet. His, vti ſucceſſionis iura competere poſſunt; ita competet tutela, ac regni adminiſtratio. Duntaxat diſceptatur, vtrum omnibus, an *propinquiori*? In propinquiore metus eſt, ne pupilli morte a neglectu ad ſucceſſionem illicitis modis graſſetur. Idcirco *Hertius* cum *Grotio* omnes admittit. Quod, fateor, tutius eſt. Sed quis propinquiorem abſterrebit, ſi adminiſtrare ſolus contendat? Forte pro iniuria is eiusmodi ſuſpicionem accipiet. Et populo vero nihil iuris adſignari poterit, quoniam *ſeruit*, ac nullo iure vtitur.

§. XVII.

In *non patrimonialibus* optimum erit, ſi tutelæ ius certis legibus definiatur antea. Teſ-

TAMEN-

TAMENTARIA partim ob rationes generales, partim ſpeciales non obtinebit, niſi expreſſe *teſtamenti factio* anteceſſori conceſſa.

§. XVIII.

LEGITIMA vero locum non habebit, non tantum, quia periculum a ſucceſſore imminet, ſed, quod populus non eſt omni iure excluſus. Ergo penes *populum* erit, aut eum, cui populus commiſerit. Huius quippe maxime intereſt, infantis perſonam conſeruari & rite educari, & regnum quoque ſine detrimento ſuo adminiſtrari. Ita *Ludouici XIII.* & *XIV.* Galliarum Regum teſtamenta ſunt neglecta; proceresque proſpexere pupillis.

§. XIX.

In REGNIS & principatibus IMPERFECTIS ac feudalibus ius penes *dominium ſupremum* erit, niſi aliud diſpoſitum, vt in *Bohemia* & Electorum terris.

§. XX.

In TVTELA EXTRAORDINARIA *furioſorum* ac *mente captorum*, idem fere tenendum. Dico fere. Nam ſi nulla reconualeſcentiæ ſpes, tutor erit, cui ius ſuccedendi a populo datum, vel ex antecedenti cauſa permiſſum.

§. XXI.

Sed quid vero ſi Rex captus? Et tum in *patrimoniali* regno libertas non ſtatim redibit ad populum, ſed adminiſtratio potius penes

penes *propinquiorem* erit. In non patrimonialibus curabit is, quem volunt proceres, aut plures ciuitatem repræſentantes. Coniux, aut Mater per ſe nihil iuris habent, quanquam ſcio, *Ludouicum* Franciſci I. matrem gubernaſſe aliquamdiu Galliæ regnum.

§. XXII.

Et *ceſſabit* autem tutela, quando Rex *ratione vti* & regnare poteſt. Virtus ac rationis vſus ſenſibus patent.

§. XXIII.

Sed cum vero de facto lis ſæpe exoriatur, intereſt vt pragmatica ſanctione *ætas definiatur*. Quod in multis regnis ac principatibus factum eſt.

§. XXIV.

De actibus tutorum eorumque pactis validis, an inualidis, c. 12. fuit actum.

CAPVT XXXI.

DE PARENTIBVS ET LIBERIS IN STATV CIVITATIS.

§. I.

Rei-publicæ vtilitas poſcit, vt ad hanc quoque reſpiciant imperantes ſocietatem, ne ciuitas ſceleſtis & male moratis ciuibus aliquando impleatur.

§. II.

§. II.

Ergo *addere* illa aliquid POTESTATI parentum poteſt, non autem *demere*, niſi iuſtiſſima cauſſa ſubſit.

§. III.

Ita Romulus, *Dionyſio Halicarnaſſeo* teſte, Patribus non ab vno populo, ſed diuerſis terrarum partibus ortis, illimitatum ius, & vitæ ac necis poteſtatem in liberos permiſit, quod deinde a decemuiris probatum eſt: vt Gallos, Perſas aliosque ſileamus.

§. IV.

Quod vtut ad finem educationis neceſſarium non eſt; non repugnat id tamen rationi, ac naturali iuri. Quidquid tum pater facit, nomine ciuitatis facit, quæ plectit *nocentes*. De *innocentibus* nulla quæſtio eſt, quia nemo eosdem puniet, vel, ſi fiat, contra Reipublicæ ſcopum id contingeret.

§. V.

Atque hinc vſu venit, vt certis iterum cancellis Romæ includeretur patria poteſtas, cum inualeſceret philoſophia & abuterentur Parentes iure ſuo, idque in atrocitatem degeneraret: manentibus ceteroquin e *prima ruditate* quibusdam veſtigiis.

§. VI.

Eſt enim notum, tractaſſe patres *liberos* ſuos, tanquam *ſeruos*. Cædebant loris, carcere coercebant, in agros ad opera ruſtica aman-

amandabant; Magiſtratibus pœnam, qua liberos affici volebant, præſcribebant, omnia per filios acquirebant, ſe eosque pro vna perſona habebant, filios in poteſtate, licet adultos, retinebant, impuberibus ſubſtituebant, nepotibus eodem modo imperabant, ac non, niſi ſolenniter publiceque, etſi diverſis modis, emancipabant; notique ſunt modi emancipandi varii.

§. VII.

Vnde mirum vix eſt, non potuiſſe liberos matrimonium inire pro lubidine; quantumvis ſeparatim agere, & res ſibi habere ſuas cuperent, ſed iuſſu Patris præcedente.

§. VIII.

Qui mores cum in Germaniam irrepſiſſent quadantenus, euenit, vt nec hodie liberi ſine conſilio & iuſſu Parentum coniugium intrare *iure* queant. Nec ambigo, quin hac parte durior ſit eorum conditio. Nam & *matres* impedire nuptias poſſunt; quid? quod aliquando *curatores*.

§. IX.

Sed cur vero apud Romanos matribus nullum ſit poteſtatis veſtigium relictum, exinde eſt, quod & ipſæ vxores ſub manu eſſent, & ſeruili quadam ratione maritorum poteſtati ſubiectæ: vt de mulierum perpetua tutela nihil addam.

§. X.

§. X.

Vnde claret, quare non frequententur in Germania ſolennes EMANCIPATIONES, quamuis peculia, & plura alia, quæ patriam Romanorum poteſtatem quodammodo ſapiunt, principia in forum ſint introducta. Namque emancipatio Germanorum *tacita* inane doctorum commentum eſt.

§. XI.

De ADOPTIONIBVS tenendum, ſatius videri liberis operam dare vere, quam, quos non generauimus, optare. Sed inualuit apud *Græcos* mos adoptandi, & ab illis tranſiuit ad *Romanos*. Noſtrates adoptionibus parum tribuunt. Nam, quas apud Francos inuenimus & nobiles quaſdam familias, toto cœlo a Romanis adoptionibus, ob deficientem patriam poteſtatem, diſtant. Idem de *vnione* prolium obſeruandum, quæ liberos e diuerſis matrimoniis ſuſceptos in ſucceſſione parentum exæquat: hincque magis *pactum* eſt de ſucceſſione, quam vera adoptio. Quidquid nunc in vſu animaduertimus aliquando, *mutuatitium* eſt.

§. XII.

TVTELARVM ius, quod apud Romanos obtinuit, itidem ab eorum commentis defluxit.

§. XIII.

TESTAMENTARIA quippe tutela e patria poteſtate & *iure ſuitatis* videtur coorta,

quod ne morte quidem, ratione effectus, extingui credebant. Hinc rei ſuæ tutorem dare dicebatur Pater.

vid. *Noodt.* obſeruat. Jur. Rom. lib. II. c. XIX.

§. XIV.

Legitima iis deferebatur, quibus lex deferebat *ſucceſſionem:* hinc, ſucceſſionis iure variante, legitimæ quoque tutelæ modus variabat.

§. XV.

Dativa ſubſidiaria fuit, vbi neque hæc, neque illa obtinuit.

§. XVI.

Diſtinguebant iidem ſubtiliter *ætatem impuberem* ac *minorem.*

§. XVII.

Germani vero, interueniente magiſtratu, minoribus proſpiciebant, & pupillis, eodemque fere modulo vtramque ætatem dimetiebantur. Quod ſimplicius multo ac tutius eſt, quam quod excogitarunt Romani ſubtiliter.

§. XVIII.

Hac enim ratione perplura incommoda deuitant. Non eſt ab agnatis periculum, non nocet pupillis falſa patris coniectura, quia onus tutelæ nemini defertur, aut ſaltem deferri debet, quam de cuius moribus bonis in præſenti conſtet. Quo fit, vt tota de *excuſationibus* doctrina nullius pene vſus ſit, quia inuitis canibus noſtrates non venan-

venantur; nec multum differentiæ inter *tutorem* & *curatorem* occurrat, quia prudentia a minoribus haud ſecus, atque ab impuberibus creditur abeſſe: eoque concidi quoque *auctoritas* & *conſenſus* artificioſum diſcrimen, a Romanis confictum.

Dicatur de *Athenienſium* ac *Solonis* argumentis contra agnatorum tutelam: itemque de principiis, quibus tutorum auctoritas innitebatur.

§. XIX.

Sed cum vero nec patres ſemper, nec tutores ipſimet perducere in infirmiori ætate conſtitutos ad veritatem poſſint; factum eſt, vt SCHOLAE aperirentur publicæ, de quibus nunc dicendi locus non eſt, quanquam euidentibus ſignis doceri facile poſſet, nihil iis in omnibus fere Rebuſpublicis inueniri corruptius.

CAPVT XXXII.

DE DOMINIS AC SERVIS.

§. I.

SOCIETAS HERILIS non eſt a *natura*, ſed *facto* humano. Si enim omnes homines eſſent ſapientes ac virtute præditi, ad laborem apti, paucis contenti, modeſti itidem, ac pacifici, fortaſſean ſeruorum nomen non audiretur. Sed fecit inſcitia par-

tim, partim paupertas, fecit etiam luxuria, ignauia, ambitio & auaritia, vt ſeruitus innoteſceret. Hinc abſurda eſt *I. F. Hornii* ſententia poteſtatem dominorum in ſeruos a Deo ἀμέσω deducentis, itemque *Ariſtotelis* ſeruos dari natura ſtatuentis: de quo *Heinſii* epiſtola ad *Georgium Richterum* legenda.

§. II.

Nec melius rationes ſubducunt, qui e ſola CAPTIVITATE, vti fere vulgo fit, ſeruitutis primordia ducunt.

§. III.

Iam vero cum e *facto* deſcendat hæc ſocietas, ſollicite ad illud reſpiciendum eſt, vt FINIS eius euidentius pateſcat, a quo omnium ſocietatum humanarum *eſſentia* pendet.

§. IV.

Et animaduertimus, *ſeruum* non minus, quam *deſpotam* ſuam quærere *vtilitatem.*

§. V.

HIC, vt per ſeruum aliquid acquirat, ILLE, vt e domini alimentis viuat.

§. VI.

Ex quo concluditur, ad ſcopum huius ſocietatis obtinendum, *vitæ ac necis* ius neutiquam neceſſarium videri. Eſt hic *locatio* & *conductio* operarum perpetuarum pro perpetuis alimentis, cum annexa ad obſequendum obligatione: nec, ſi vellet ſeruus, ius dare in vitam domino poſſet. Quod quis enim

enim non habet ipſe, id ſane alteri permittere nequit.

§. VII.

Tota igitur ex vtraque parte obligatio eo redit, vt ſeruus, quemadmodum pactus eſt, miniſteria exhibeat ſua, & dominus præſtet viciſſim, quod promiſit. Quis enim adeo erit ineptus, ac ſui oblitus, vt ſuam ab alterius arbitrio vitam vellet ſuſpendere?

§. VIII.

Ergo *victoriæ* ius remanet, vnde, vulgo iſta immanis in vitam ſerui poteſtas deducitur. Occidere, inquiunt, hoſtem poſſumus: quod ni ſubire fatum velit, conſentiat victori, & iugum eligat triſte: ſin minus, pereat, mortemque præferat.

§. LX.

Et fateor, non habere victum, de quo conqueratur. Qui enim hoſtilem animum induit, & extrema omnia alteri minatus eſt, extrema exſpectet. Poteſt occidi hoſtis, poteſt etiam occiſio differri. Sed tum, quando differtur, belli ſtatus durat.

§. X.

At, cum ceſſat hic ſtatus, & pacta ineuntur, vaneſcit quoque interficiendi ius, quamvis mancipium in illud conſenſiſſet. Nec enim poteſt id in vitam ſuam facultatem permittere alteri, cuius facultatem non habet; idque *iterato* monemus.

§. XI.

Cui non obeſt, poſſe ciues ab imperante occidi, atque hinc etiam ſeruum a domino. Largior quippe, poſſe eos occidi, qua hoſtes, non autem qua ciues, aut ſeruos, quoniam, belli ſtatu ſublato, pace vtique frui debent, quamdiu viuunt tanquam ciues, aut ſerui pacati.

§. XII.

Ex quo amplius colligas, etiam hominem belli iure in ſeruitutem redactum, arctiori obligatione vix ſtringi, quam vt ad arbitrium domini, licet ſæpe durum, vitæ actus perpetuo componat.

§. XIII.

Quod autem adfert *Proeleus*, non etiam occidi poſſe victum a victore, aut in ſeruitutem redigi, niſi hic *ſapientior* ſit deuicto, parum roboris habet. Quis enim determinabit ex aſſe, quis ſit maiori ſapientia præditus? Nemo de ſe male ſentit, nemo imprudentiorem ſe aliis exiſtimat. Non eſſe autem & non apparere in moralibus conueniunt.

Vid. *Proelei* notata ad *Puffendorſium* L. II. cap. IV. §. 2.

§. XIV.

Ceterum altioris indaginis quæſtio eſt, poſſitne dominus eandem ſibi in LIBEROS ſerui poteſtatem aſſerere? Et negat id vir clariſſimus *I. F. Buddeus*, negat itidem *Emanuel*

nuel Proeleus. Sed puto, eos ſibi atrociorem, quam par eſt, ſeruitutis finxiſſe ideam. Quae enim immanitas, exigere ab eo, quem aluimus atque eduximus, mercenarias operas, easque perpetuas? An pater poteſt generare meliorem ac liberiorem, quam ipſe eſt? an vitio verti domino poterit, ſi ei, cui vitam ſeruauit, leges viuendi praeſcribat? Ponimus enim, non habere dominum ius vitae ac necis in ſeruos; nec iis, ſi ratione vtatur, vllo poſſe modo abuti, quia non res, ſed homines ſunt.

Vid. *Grot.* de I. B. & P. lib. II. cap. V.

§. XV.

Vnde indubium, quin & ſeruis fieri INIVRIA poſſit. Quod *Seneca* quadantenus, cum *Perſio*, durante adhuc ſeruitutis duriſſimo iugo, agnouit.

§. XVI.

Eandem ob cauſſam, ſi immanis ſit domini ſaeuitia, fugere ſeruus poteſt.

Conf. *Grotius* lib. II. cap. V. §. 29.

§. XVII.

Id autem quaeſitu non indignum, an VENDITIO ſeruorum ſit iuri naturae contraria? Vendimus enim *res*, non *perſonas*. Sed cum iura noſtra permutare & vendere queamus, nihil obſtat, quo minus etiam ius regendi ſeruum, eique imperandi & operis eius vtendi in alium transferri fas ſit. Iura enim noſtra pretium recipiunt. Romani, ſeruum

pro *re* habentes, aliam ſectati ſunt rationem.

§. XVIII.

Quibus conſtitutis conſequitur quoque, ut ſeruus in *vſumfructum* dari, aut *locari* queat, quo operis ſeruorum fruatur is, cui ius fruendi dedimus, aut qui conduxit.

§. XIX.

Ex eo eſt, quod antiquiſſimis temporibus venditiones, alienationes atque permutationes ſeruorum inualuerint, certo, in ſeruorum capita, pretio conſtituto. Saltem ipſi *Hebræi* tali iure vſi ſunt.

§. XX.

Interea tamen non nego, poſſe pactionibus ius alienandi *reſtringi.* Si nihil dictum, per ſe intelligitur, poſſe alienari: vtut non eſt ſine cauſſa vendendus domino acerbiori ac truculento. Secus ſi faxit dominus, ſeruus ſibimet conſulat decenter.

CAPVT XXXIII.

DE SERVITVTE GENTIVM.

§. I.

QVemadmodum vnusquisque priuatus ſeruitutem poteſt ſubire; ita populus homini alicui, eius heredibus, aut pluribus hominibus, aut etiam populo alteri in ditio-

ditionem ſeſe dare poteſt, tam *voluntarie*, quam *coacte*. Exempla *Grotius lib. III. cap. VIII.* de *J. B. & P.* ſuppeditat larga manu. Iungatur *Puffendorfius* Lib. VIII. cap. V.

§. II.

Hinc, quando Rex ius ſuum illibatum ſeruauit, ſubiecti non alio iure tenebunt ſua, quam ſerui Romani peculia: vnde & illi ad vitam neceſſaria decerpunt. Ita in regno *Siamenſi* aliisque proprietas *rerum immobilium*, atque etiam mobilium, ſemper pertinet ad Regem, atque ab arbitrio eius pendet, quid vnicuique velit relinquere: vt Turcicum imperium taceamus, aliaque exempla ab *Hertio* in *elementis prud. ciuil. p. I. p.* 213. adducta.

§. III.

Sed quid? ſi dominium, ſi *libertatem perſonalem* reliquerit, hoc eſt, ſi non conſtrinxerit vinculis, an ſaltem ius alienandi cenſetur retinuiſſe? Et putem. Nam cum dedititii nihil reſeruauerint ſibi, ex facto Victoris determinandum eſt, quid hic reliquerit, iique recuperauerint. At ius abſolutiſſimum is retinuit. Hoc autem abſolutiſſimum non foret, niſi & *alienandi poteſtatem* complectatur. Saltem præſumitur, non habere populum ſubiectum aliquid cauſſæ, quare refragetur alienandi facultati, qui deleri & exſcindi totus potuit.

§. IV.

§. IV.

De tyrannide, aut atrocitate facti differere eiuſcemodi gens non poteſt, vtpote quæ ſibi tribuat merito, quod patitur volens. Quid prudentia ſuadeat, ac generoſa virtus, non pertinet ad *κειρόμενον*.

§. V.

Aliud eſt, an ius vitæ ac necis arbitrarium competat? quod e ſupra dictis decidi poteſt ac debet.

§. VI.

Vnum, quod obiicitur, ſpecioſum eſt. Ponitur, inquiunt, non expreſſe ſibi ius alienandi reſeruaſſe victorem, forte, quod non ſit auſus, petere difficillimum obtentu. Quibus repono: non eſſe præſumendum, victorem adeo fuiſſe meticuloſum. Potius coniectura ſuppetit, non exiſtimaſſe eum, victos repugnaturos, vt quorum vita in manu vincentis fuit. Addo argumentum rem valde illuſtrans. Quod ſi enim non eſt abſurdum, homines ſeruos vendi, ac alienari cum toto territorio, in quo viuunt, etſi nihil ſibi reſeruauit dominus; quare quæſo repugnaret, vendi atque alienari populos victos cum toto, vbi ſunt, regno, aut principatu? Vt de Victoris liberalitate tam ample præſumamus, ratio vix ſuadet. Nec adeo ſæuum eſt, ius acquiſitum pari conditione transferri in alterum. Quod contra ſententes inprimis pungit, *alienationis* vox eſt.

Res,

Res, aiunt, alienantur : alienatio pertinet ad dominium, non autem ad imperium. Verum tamen vix obſcurum peritioribus eſſe poteſt, iura quoque in alium transferri. Ius imperandi abſolutiſſimum eſt ius; transferri in alium Dominium poteſt igitur. In ſubiectione abſoluta latet quoque obligatio, ne quis murmuret, ſi ſeruatum hoſtem alteri relinquat regendum, eodem iure, quod is accipit; nec declinare nullo modo potuere deuicti : contenti interea, ut ſeruarent vitam, nec in vincula coniicerentur, ceu facere potuiſſet Victor iracundus. Formulæ *deditionum* apud auctores hiſtoriæ Romanæ hac parte diſſentientes doceant.

§. VII.

At vti vero populus nondum noſter ſeruituti ſubiici; ita multo magis is, qui in *noſtra ditione* iam ſub tolerabilibus conditionibus exſtitit, in pœnam rebellionis, eandem ſubire ſortem poteſt. Sic olim *Romani*, Liuio teſte, *Brutios, quia primi Italiæ ad Hannibalem deſciuerant, poſtquam Hannibal Italia deceſſit ſuperatique Pœni ſunt, non amplius pro ſociis habuere, ſed magiſtratibus, in prouinciam euntibus, parere, & præminiſtrare ſeruorum vice iuſſerunt.* Quæ in Catalanos ſtatuerit *Philippus*, nota ſunt. Sed puto tamen, non meruiſſe eos pœnam, multo minus adeo trucem : cum dubium eſſet ius ſuccedendi.

§. VIII.

In quo iſtud adhuc peculiare, quod POPVLI SERVITVS ſit PERPETVA, quia *ſucceſſio partium* non impedit, quo minus ſit ac maneat vnus populus. At ſingulorum ſeruitus *pœnalis* ob delictum perſonas vix egreditur. Quod ſi mitius agatur cum deuicta gente, id Domini benignitati acceptum ferendum, inque politica prudentia merito *Victoribus* commendatur.

CAPVT XXXIV.

DE DOMINIS AC SERVIS IN STATV CIVITATIS.

§. I.

VTi ciuitas proſpicit, ne quis rebus ſuis vtatur male; ita multo magis prouidet, ne ſeruis abutantur domini, aut ab illis aliquid periculi immineat rei publicæ.

§. II.

Etſi enim rationi contrarium non eſt, vt in ſeruos dominis concedat ciuitas vitæ ac necis ius; tamen id *neceſſe* non eſt: ſed vbi eo abuti cœperint domini, merito abutentibus adimitur.

§. III.

Ita Principes Romani variis atroces dominos legibus circumſcripſerunt, cum *Stoicorum*

corum principiis ſeducti peccata exiſtimarent paria, & ob leue ſæpius delictum mancipia in furcam agerent, aut modis indignis lacerarent.

Explicetur locus *Galeni* ad rem maxime faciens, cuius ætate ſeruos indigniſſime tractabant Romani.

§. IV.

Sed caue tamen, atrocitatem voces, Romanos ſeruos iumentis adſimilaſſe, & *rebus*, non iis connubia permiſiſſe, ſed contubernia, non caput, non nomen, non Quiritium ius reliquiſſe, ſed habuiſſe pro mortuis. Duntaxat verba inhumana ſunt: res ipſa nihil crudelitatis continet: niſi abuſus accedat.

§. V.

Sat ſcio, Germanos duriores adhuc leges ſeruis ſuis præſcripſiſſe: vtut plerique exiſtimant, ſeruile nomen non amplius in Germania audiri. Falluntur, qui ita ſentiunt, vti dudum demonſtrauit illuſtris *Thomaſius*.

§. VI.

Cauſſa vero, quare ita rationes ſubduxerint Doctores, ea eſt, quod ad decempedam moris Romani omnes exegerint ſeruos: cum tamen id ab arbitrio paciſcentium, aut etiam imperantium prorſus dependeat. Iam vero quum obſeruaſſent, homines proprios aliis obligari & acquirere, & contrahere, & coniugia inire, ſtatim induxerunt animum, eos non habere ſeruos: quod perinde eſt, ac

ac ſi quis diceret, *Græcos* caruiſſe mancipiis, quod tolerabiliores iis conditiones, in quibusdam cauſis, permiſerint.

§. VII.

Vnde etiam prorſus abſonum eſt, quod refert *Huberus*, ſeruos ex India adlatos ad libertatem in Europa proclamare poſſe. Quis hoc unquam credet? vbi vſus huic reſpondet adſerto?

§. VIII.

Id verum eſt, inualuiſſe fere inter Chriſtianas gentes morem, vt ne amplius mancipiorum loco habeantur *captiui*, ſed, *pretio dato*, vel euadant liberi, vel, pace facta, redeant poſt limen. Cauſam ei conſuetudini aut Pontifex dedit Romanus, aut aliæ circumſtantiæ, vti oſtendit *Hertius* diſſertatione de *Lytro*.

§. IX.

Turcas vero ſimili, quo nos tractant, modo tractamus. Sed inde tamen non niſi ſtupidiſſimus concludet, vigere apud nos *ſeruitutem Romanam*.

§. X.

Vti vero diuerſa apud Romanos ſeruitutis ratio, atque apud alios populos inualuit; ita neceſſe non eſt, vt eosdem MANVMITTENDI modos vbiuis gentium admittamus. Dependet id iterum ab arbitrio dominorum, & ciuitatis.

§. XI.

§. XI.

Vnde in hac diſciplina neceſſum non eſt, vt de LIBERTIS eorumque conditione, vtpote re arbitraria, nimium ſimus ſolliciti. Quidquid hac parte diſcimus, ad hiſtoriam iuris Romani aliarumq; gentium pertinet.

§. XII.

Id addimus, non habuiſſe *Juſtinianum* ſat rationis, vt promiſcuam *manumittendi* facultatem contra maiorum inſtituta permitteret. Quod & de *ſacerdotibus* in Germania meretur obſeruari: qui aliter hac parte, quam primi Chriſtiani ſunt philoſophati.

CAPVT XXXV.

DE CIVITATE.

§. I.

CIVITAS cœtus familiarum perfectus eſt, vt ſub eodem imperio coniunctus ſecuritate & ſufficientia fruatur.

§. II.

Ergo FINIS CIVITATIS *ſecuritas* eſt, atque *ſufficientia.*

§. III.

SECVRITAS obtinetur, quando plures ſeſe ad defenſionem communis vtilitatis, ſociant.

§. IV.

Numerus plurium definiri *abſolute* non poteſt.

teſt. Vnde, quæ ab *Apuleio* & *Bodino* de *quindecim* hominibus ſunt adlata, inania videntur. Pendet id a comparatione ciuitatum vicinarum.

§. V.

Eſt & inanis *Huberi*, aliorumque diſputatio, an ſine familiis coaleſcere ciuitas poſſit? Recte enim ab illuſtri *Thomaſio* obſeruatum eſt, miſeram & breuis æui futuram Rempublicam eccleſiaſticorum, ſi nimirum ſacerdotes ſoli forent, qui regnarentur.

§. VI.

Qui vero *ſecuritatem* quærunt, primo *metuunt*. Ergo ciuitates ob metum ſunt ortæ.

§. VII.

Metus violentiam præponit, quæ vel a *feris animalibus* venit, vel *hominibus*.

§. VIII.

Fera animalia in terra Sinear multas ſtrages feciſſe, adeoque omnibus ad vnum mortalibus anſam dediſſe, vt, inter alias cauſſas, vna viuere decreuerint, erudite nuper in *originibus Babylonicis* oſtendit *Iacobus Perizonius*.

§. IX.

Sed puto tamen, malos deinde hunc metum auxiſſe, dum aliis ſæpe *inſultarunt*.

§. X.

Insvltantes forte non ſtatim imperio ciuili ad regulam compoſito copulabantur; ſed veluti manus latronum vagabantur.

§. XI.

§. XI.

Vagantes paullatim, cum & ceteri ad defenſionem ſeſe accinxiſſent, accreuerunt, hincque ciuitates vtrinque videntur exortæ.

§. XII.

Quæ obſervatio facit, vt magis perſpicue nunc intelligatur, quomodo IMPERIVM CIVILE partim per *vim*, partim ex libera proprii iuris *renunciatione* ſit coortum.

Conf. quæ ſupra *Cap. III.* §. 45. *ſeq.* ſunt dicta.

§. XIII.

Vtrique tam boni, quam mali *ſecuritatem* ac deinde *ſufficientiam* quæſiuere. Illi *veram* & ex ratione: hi *imaginariam* pravisque cupiditatibus innixam.

§. XIV.

Nam quæ Vir clariſſimus *Theophilus Gerhardus Titius* congeſſit, vt probaret, non opus fuiſſe imperio ciuili, & potuiſſe homines ſegreges eundem obtinere finem, nimis theoretica ſunt, & ab experientia, affectus hominum detegente, aliena.

§. XV.

Id fateor, non vbiuis gentium ac locorum tales conſociationes ſemper videri neceſſarias.

§. XVI.

Quin permitto, non vno temporis momento in ciuitates coiuiſſe vniuerſos; ſed hos iſtis, alios aliis cauſſis commotos, non-

nullos imitatione ad ſimiles cœtus inſtituendos fuiſſe pellectos.

§. XVII.

Nunc ſufficit, tales ciuitates & Respublicas, in quibus inuenitur ſumma poteſtas, omnibus fere terrarum partibus occurrere.

§. XVIII.

Itaque natura *ſummi imperii* eiusque efficientia, vtpote ſine quo ciuitas non exiſtit, circumſpicienda eſt.

§. XIX.

IMPERIVM propterea neceſſarium videtur, vt vnum fiant, & in vnum conſpirent plures, qui appellantur ciues.

§. XX.

Talis harmonia artificium deſiderat. Ergo ciuitas imperio conſtans res *artificialis* eſt.

§. XXI.

ARTIFICIVM *pacta* ponit, violentia ortum dederit conſociationi, an voluntas omnium propria?

§. XXII.

Ad PACTA *conſenſu* opus eſt. CONSENSVS eſt vel *expreſſus* vel *tacitus.*

§. XXIII.

Conſenſus vero eo tendat oportet, vt *primum* vna viuant, *poſtea*, vt imperium agnoſcant, & *demum*, vt in perſonam, quæ imperet, conſpirent.

§. XXIV.

IMPERIVM *libertatem* a parte imperantis requirit,

requirit, & *libertatis imminutionem* a parte eorum, qui iunguntur.

§. XXV.

Hæ regulæ non in cerebro Philoſophorum naſcuntur, ſed ex ipſa natura rei fluunt.

§. XXVI.

Libertatis imminvtio vix rectius concipitur, quam ſi conſideretur, quænam ſit libertas ſingulorum, antequam coeant.

§. XXVII.

Sed hæc vero in iure faciendi conſiſtit, quod lubet, ad conſeruationem ſui procurandam, itemque in iure auertendi malum, aut impedimentum, quod contra fas noſtræ voluntati obiicitur.

§. XXVIII.

Vtrumque deponendum eſt. Quo facto, is conſequitur facultatem conſeruandi cœtum, qui in mente & diſpoſitione libertatem retinentis acquieſcit, quique & puniendi contraeuntes arbitriumque tollendi impedimenta, vno verbo, ius eligendi media ad conſeruationem apta pro bono publico excubias agenti permittit; dumque permittit, & ſimul ſuum robur ad exſequenda iuſſa domini confert, ſumma certe, cui in ciuitate reſiſti nequit, potoſtas oritur, quam ſub ſchemate *Leuiathanis* expreſſit & Lectoribus ſuis obtulit *Malmesburienſis* Philoſophus, id eſt, hobbesivs.

§. XXIX.

Et hic imperans, MAGISTRATVS ſummus, ceteri *ſubiecti*, aut *ciues* audiunt.

§. XXX.

Ex quo concluditur, *Magiſtratum* eſſe mentem totius ciuitatis, eius voluntatem eſſe voluntatem vniuerſorum & ſingulorum.

§. XXXI.

Talis ordo DEO diſplicere ex hypotheſi non poteſt, quandoquidem homines aliter ſecure ac beate agere nequeunt. Quæ ſententia, vti *Grotii*; ita omnium eſt veriſimillima.

§. XXXII.

Eo ſenſu imperium ciuile eſt a DEO: non autem altero, quando maieſtas *ἀμέσως* infundi imperantibus, non ſine miraculo, creditur.

Dicatur de controuerſiis eam ob cauſſam inter eruditos obortis.

§. XXXIII.

Quin nec cum *Puffendorfio* affirmandum, DEum *antecedenter* iuſſiſſe, vt homines talem ſocietatem intrarent, cum ſæpe *a malitia aliorum* ea originem ſumſerit.

§. XXXIV.

MAIESTAS autem ſubiectum, in quo reſideat, expoſcit. Id vel *vna vera* perſona eſt, vel *myſtica*. MYSTICA vel *pluribus*, vel *paucioribus* conſtat.

§. XXXV.

§. XXXV.

Ingenii præſtantia, nobilitas, virtus, aut diuitiarum abundantia nihil ad rem faciunt: PACTVM, ſeu conuentio vtramque hic paginam conficit.

§. XXXVI.

Vnde *Monarchomachorum* dogma per ſe corruit, qui ſummam rerum ex naturæ inſtituto penes populum eſſe adfirmant: cum tamen iſte omni ſeſe robore ac iure contradicendi exuerit.

§. XXXVII.

Corruit quoque *I. F. Hornii* opinio, ad PAVCOS eam transferri poſſe, negantis.

§. XXXVIII.

Nec maioris firmitudinis *I. Bodini* commentum eſt, FEMINIS ius imperii abiudicantis.

§. XXXIX.

Nec denique repugnat, iſtud HÆRETICO, ſeu INFIDELI tradi: quia regnandi ars ex ratione innoteſcit; nec ad vllam religionem in ſpecie adſtringitur.

Caput XXXVI.

DE IVRIBVS MAIESTATIS.

§. I.

Maiestas vti ſumma poteſtas, ita libera ab imperio & omni ſeruitute eſt.

§. II.

Eſt etiam inviolabilis, ita vt ſummus a nemine vel iudicari vel puniri queat.

§. III.

Aſt solvta legibvs, non quidem naturæ, aut diuinis, ſed ciuilibus.

§. IV.

Eſt denique, ſecundum quorundam opinionem, ita *indiuiſa*, ſeu *indiuiſibilis*, vt intellectu magis partes habeat, quam corpore. Sed non videntur recte, qui ita ſentiunt, ſubducere rationes. Concipiunt illi maieſtatem, tanquam rem phyſicam, cum tamen ſit res moralis, e conſideratione variorum modorum orta, nec melius definiri queat, quam plurium iurium imperii complexus; cui omnium ciuium robur accedit coniunctione indiuidua.

§. V.

Regalivm voce non vtor, quia multiplici ac varia interpretatione ſequioris Iuris conſulti eam adeo contorſerunt, vt vix tolli

li omnis ambiguitas poſſit. Qua de cauſſa etiam *Boeclerus* parce ea cenſuit vtendum.

§. VI.

At quænam ſint imperii iura, quaue methodo debeant tradi, diſceptatur.

§. VII.

Nonnulli vel ad DEI poteſtatem oculos intendunt, atque inde humanæ poteſtatis imaginem capiunt. Verum *hi*, iudicante doctiſſimo HERTIO, *ea nituntur hypotheſi, quaſi a ſolo Deo ſumma poteſtas ἀμέσως proficiſcatur, cum ea potius ſit* HOMINVM *in ciuitatem coeuntium* PRODVCTIO.

§. VIII.

Ergo videndum, quem illi finem habeant, quando ſummo ſeſe imperio ſubiiciunt.

§. IX.

Et volunt, credo, vt 1) regantur ceu *homines* ac 2) *contra vim* iniuſtam defendantur.

§. X.

PRIMVM obtinetur, ſi leges ferantur genio ſubditorum accommodatæ, & reprimendis vitiis humanis aptæ.

§. XI.

Vnde claret, quam ſit ineptum introducere leges PEREGRINAS, vti fecerunt & Romani, & Germani. An potuerint legibus locum dare? alia quæſtio. Vnde in transcurſu duntaxat aliquid de *imprudentia*

 inſper-

inſperſimus, quæ in politicis lectionibus magis exponetur.

§. XII.

Per LEGES hic non intelliguntur leges *naturales*, ſed *ciuiles*. Quod ſi magiſtratus aliquid ex naturæ legibus inculcent, tum iſtud non tam ius *ciuile*, quam ius *naturale* ſanctione pœnali munitum cenſetur.

§. XIII.

Sed cur vero ciuitas naturalibus ſuas addat, & addere ſæpe debeat, *cap. I. §. LXXVI.* eſt oſtenſum.

§. XIV.

Sufficit iam, non habere ſubiectos, quare legibus obedire renuant. Militat enim pro imperante, cui ſeſe ſubdidere, præſumtio, nihil eum propoſiturum populo, quod non ſit vtilitatibus ciuitatis conueniens: etſi non ſemper cauſſæ in oculos incurrunt.

§. XV.

Ex quo infertur, non eſſe Magiſtratum obſtrictum, vt legem cum *prologo* emittat.

§. XVI.

Id vero certum eſt, vix aliquid effecturam legem, niſi SANCTIO adiiciatur POENALIS pro neceſſitate & vtilitate Reipublicæ.

§. XVII.

Neque enim cum *Cumberlando* ſentio, qui non tam POENIS, quam PRÆMIIS excitandos homines ad obſeruationem legum credidit.

didit. Quid enim ſi præmiis iidem renuncient?

§. XVIII.

Vti vero imperantium *expreſſa voluntate* nititur lex ſcripta; ita ab eorum tacita voluntate manet CONSVETVDO, quippe quæ imitationem ſubditorum & repetitos eorundem actus conſequitur & approbat. Ex qua demum factis ſtabilita approbatione infertur, velle eos, vt in *futurum* ab omnibus obſeruetur idem, aut minimum ita agentes non impediantur. Quæ voluntas ſicuti ſeria; ita vix ambigitur, quin *ſanctionem* contineat *pœnalem*, vtut rurſus *tacitam.* Valde enim errant, qui *conſuetudinem* PERMISSIONEM duntaxat operari contendunt, non autem OBLIGATIONEM. Quod quanquam aliquando verum eſt, fallet tamen ſæpiſſime: quod iam *Weſenbecius* in *paratitlis* animaduertit. Saltem Germanorum leges quam plurimæ, quæ nunc ſunt ſcriptis comprehenſæ, olim vſu inualuere; atque ex illo vſu tum *ius* pullulauit, tum obligatio. Idque auream bullam cogitantibus patebit amplius: vt taceam quæ in *Gundlingianis* part. VI. & *Pandectis* adtuli.

§ XIX.

Quod ſi autem *ſanctione pœnali* muniri poſſunt leges, per ſe ſequitur, etiam magiſtratui competere ius *puniendi.*

§. XX.

§. XX.

Poena eſt malum paſſionis inflictum propter malum actionis, aut, ſi mauis, eſt malvm *moleſtum*, quod a ſuperiore infligitur *peccanti*, vt tum ipſe, tum alii a iucunditate peccandi, *publicae vtilitatis* cauſſa, abſtrahantur.

§. XXI.

Ergo a pari non infligitur pœna: niſi quidem vocabulis ludas.

Notetur *Grotii*, *Lockii* & *Barbeyracii* philoſophia.

§. XXII.

Ergo, vbi nullum *peccatum*, ibi nulla pœna.

§. XXIII.

Ergo, vbi plures ex vniversitate peccant, non omnes, ſed illi, qui reuera deliquerunt, *vere* puniri poſſunt.

§. XXIV.

Ergo nec *filius* pro patre, nec *pater* pro filio puniendi, etiam, vbi maieſtatis crimen committitur.

§. XXV.

Sed poſſunt tamen patris bona fiſco addici, ita vt liberi cauſſam conquerendi non habeant: quamlibet iis bonum ſperatum intercipiatur.

§. XXVI.

Quemadmodum qui pro delinquente fideiuſſit, & ad ſolutionem cogitur, non tam punitur, quam ſecundum obligationem, cuius

ius ipſe auctor eſt, excutitur. Nec aliud dicendum, cum ciuitati, municipio, atque vniuerſitati adimuntur priuilegia, quibus deinde inſontes in tanta multitudine carent quoque, ſicque per indirectum aliquid incommodi ſentiunt: vid. *diſſert. noſtra* de *vniuerſitate delinquente.*

§. XXVII.

MALVM hic late capitur, nihilque refert, ſiue illud vitam, corpus, libertatem, ſiue exiſtimationem, ſiue bona nobis chariſſima afficiat.

§. XXVIII.

Tantum magiſtratus peruideat, quomodo iuſte determinet iſtud malum, & delicto accommodet, & publicæ rei, vt finis pœnarum obtineatur.

§. XXIX.

Itaque non eo fine imponat, vt delinquenti duntaxat *ægre* fiat, & moleſtia creetur. Eſt hæc CRVDELITATIS quædam ſpecies.

§. XXX.

Potius *bonum futurum*, quod mediis humanis obtineri poteſt, ſpectandum.

§. XXXI.

Illud BONVM FVTVRVM ſecuritas communis eſt, qua cum alii fines, nempe emendatio peccantis, eiusque imminutio, aut etiam ſublatio, aliorumque terror optime conſiſtere poterunt.

§. XXXII.

§. XXXII.

Hincque eſt, quod, vbi aliter ſecuritas ſocietatis obtineri nequit, etiam *capitalis pœna* imponatur. Etſi enim eo modo non emendatur delinquens; tamen abſterrentur alii, & ſic publica ſecuritas tum morte ſcelеſti, tum terrore ad paria graſſantium atque auocatione eorundem a delictis obtinetur.

§. XXXIII.

Sed fatendum tamen, ſæpe vltimum ſupplicium imponi, vbi mitior pœna ſufficeret. Quod exemplis facile oſtenditur.

§. XXXIV.

Qui omnia capitalia iudicia reſpuunt, partim vmbraticam vitam ſectantur, partim intempeſtiue mites ſunt & artes regnandi ignorant.

§. XXXV.

De EXPIATIONE mali, cuius vt plurimum inter fines pœnarum mentio iniicitur, ſilemus: cum illa ſatisfactio, quæ iuſtitiæ fieri dicitur, aut nimiam mentis præciſionem ſapiat, aut ad claſſem finium, quos DEVS in pœnis ſibi ſuis præfigit, pertineat. Princeps ciuitatis etenim, quantacunque acerbitate puniat; nequaquam efficiet tamen, vt pœna ceſſet diuina futura. Vnde concluditur, *expiationem* finem imperantium in pœnis infligendis vix eſſe; ſed emendationem delin-

delinquentis, vel etiam aliorum, ne ſic delinquant ipſimet.

§. XXXVI.

Interea caue, ob quiduis delictum infligendam pœnam exiſtimes. Ita enim omnes ciues quotidie forent publice puniendi.

§. XXXVII.

Caue, ne delictum facias, quod non eſt, vti *delictum religionis*, quæ imperio humano non ſubiacet.

§. XXXVIII.

Caue, ne quæ in *ſolo animo* conſiſtunt, nec ſocietatem humanam lædunt, ad pœnam trahas, aut affectus exſtirpare humanos, aut vitia omnia inolita vno concidere *ictu* affectes. *Feſtina lente* etiam hoc obtinebit loco.

§. XXXIX.

Caue, ne pœnam cum REPARATIONE DAMNI commiſceas.

§. XL.

Caue denique, ne nunquam delinquentibus VENIAM concedendam cenſeas. Suadent ſæpe circumſtantiæ, vt vel pœnæ durities propter *malitiam minorem* mitigetur, vel delictum paucis cognitum, aut *obliuione abolitum* impunitum relinquatur, vel denique bene merita peccantis clementiam experiantur. Ex eo fundamento PRAESCRIPTIONES criminum inualuere, quia poſt tantum temporis ſpatium & probationes deficiunt,

ciunt, & offenſio ceſſat, quam vulgo appellamus *ſcandalum.*

§. XLI.

Malitia autem cenſetur eſſe minor, vbi contemtus legum in peccante obſeruatur minor: hinc perſona delinquentis, delinquendi conſuetudo ac facilitas, & cauſſæ, ob quas ad peccandum commouentur homines, & modus, quo peccarunt, caute ſunt diſpicienda: de qua menſura plus diximus capite III. eſtque hinc diiudicandum, quod de poteſtate *diſpenſandi*, ſeu *indulgentiam* delinquentibus impertiendi diſputatur.

§. XLII.

Illud certum, Legem Mosaicam *particularem*, vel *talionem* non eſſe normam pœnarum. Si quid hodie e iure Moſaico receptum, ex eo eſt, quod vel exiſtimatur omnium hominum intuitu latum, vel iuſtitiæ ſpecie ſeſe commendat, vti homicidii pœna: quæ capitalis eſt, nec iniuſta certe: etſi alia plane quæſtio eſt, an ea commutari cum leuiori poſſit, aut prorſus remitti? Saltem ipſi Iudæi ac Principes Iudaicæ Reipublicæ iſtud præceptum non adeo obſervarunt rigide. Meretur legi reſponſum Facultatis iuridicæ Hallenſis, quod ſuppeditat *Granzius* in *inquiſito defenſo* part. II.

§. XLIII.

Magis quæri dignum, an delinquens ad *pœnam obligetur*? Et credam, vocabulum *obli-*

obligandi exponendum eſſe omnium primo, ne præter neceſſitatem nodos fingamus, vbi nulli ſunt. Nam ſi ita explicentur verba, *ad pœnam obligari*, peccantem mereri pœnam, conſentio. Sin ea ratione, ac ſi peccans ſit obſtrictus, vt ipſe ſeſe reum profiteatur, nec trahentibus ad pœnam repugnet, ſubſiſto: cum nemo ſit obligatus ad id, quod fieri per naturæ humanæ conditionem nequit: quod argumentum nondum reſpondit *Barbeyracius*, contrariam opinionem amplectens. GRANZIVS vero *l. c. Puffendorfium* vix cepit, quando ea ratione ſententiam illius proponit, ac ſi exiſtimaſſet, *reum*, ſeu accuſatum recte negare ſibi obiecta; eoque huius generis opinionem admodum videri periculoſam ſtatuit. Videtur, nec eſt tamen. Quin fac, ad vnum omnes ICtos confeſſionem iniungere *inquiſitis, denunciatis* & *accuſatis* promptam; & verebor interea, an ſtatim faſſuri ſint patrata a ſe? Quæſtio eo redit, num homo naturæ ſtimulis obtemperans, obligatum ſe intelligat, ad confitendum delicta: quorum confeſſionem ſequitur mors, aut pœna vitæ, ſanitati, ac fortunis omnibus inimica? Qui grauiter peccarunt, nunquam ita ſunt animo depingendi, ac ſi illico eos vitæ huius tædium ſit correpturum, alteriusque vitæ ac melioris deſiderium mentes, peſſimorum ceteroquin hominum, occupaturum. Vnde

Vnde totum ζήτημα ita ordinandum eſt, vt memores ſemper ſint doctores, occurrere hic homines extreme malos, non autem ſapientes, ac *regenitos*. Et illi vero naturam humanam vix exuunt, cum perueſtigatio criminis inſtituitur, nec ſane naturalibus exuere viribus poſſunt. Quid facturus ſit vere pœnitens, ac *regenitus*, vitæ æternæ deſiderio animatus? ad quæſtionem non pertinet?

Confer, quæ ſupra *cap. XVI.* §. 14. diſputauimus.

§. XLIV.

Quod vero *Barbeyracius* ait, ſic militem non fore violatæ fidei reum, ſi ſtationem ob hoſtium vim ingruentem naturali impulſu relinquat, rem nondum conficit. Habet miles ſpem euadendi, ſi fortiter reſiſtat. In hac cauſſa, vbi reus ad ſupplicium trahitur, aut profecto mox trahetur, nulla ſpes reliqua eſt. Ergo cogat Magiſtratus, cogat ad veritatem dicendam quæſtione, quam appellitamus *torturam*, conuincat per teſtes, ſeruis publicis, vel militibus, vel ciuibus vtatur, vt ne reſiſtere queat amplius. Primum falſum *Barbeyracii* aliorumque in eo cubat, quod iuri Magiſtratus obligationem delinquentis reſpondere contendant: cum tamen ſupra a nobis ſit oſtenſum, fallere canonem: vbi ius, ibi ex altera parte obligatio. Finge enim tres quatuorue in tabula ſalutem e naufragio quærere. Habet vnusquis-

quisque, ſi tabula tot ſeſſores non ferat, ius propellendi alterum: ſed neuter vero, vt ſe patiatur propelli, obligatus erit naturaliter. Applica & dic: Magiſtratum facere, quod poteſt iure. Obligatio ad pœnam in fure, vel malefico, ne repugnet, ſed ad ſupplicium ſubeundum læto animo vadat, ſicuti ius magiſtratus nec gignit, nec tollit; ita ob colliſionem inſtinctus naturalis in concurſum, obligatio ex naturæ lege profluens non apparet certe.

§. XLV.

Quod ſi modus loquendi *ad poenam obligari*, ratione punientis, eo ſenſu circumſcribatur, vt imperans ſemper ad pœnam infligendam iudicetur obſtrictus, dicendum eſt: male quidem facere eundem, ſi *ſine cauſſa* delictum, quod turbat humanam ſocietatem, impunitum dimittat; non autem peccare, ſi *ſat rationis* habeat idque ſuadeant adiuncta: de quo §. XL. dictum.

§. XLVI.

Iam vero cum ſummi imperantes non ſemper ipſimet *punire* ac *leges interpretari* omni loco queant, conſequitur, vt facultas iis ſit relinquenda, conſtituendi IVDICEM leges interpretantem.

§. XLVII.

Et *hic* autem inter partes ante omnia amicabilem compoſitionem tendet, &, hac

deficiente, ſecundum leges *litem dirimat*, aut *poenam infligat.*

§. XLVIII.

Ex quo elucet, IVRIS DICENDI poteſtatem vel ad CIVILIA ſeſe porrigere, vel ad CRIMINALIA.

§. XLIX.

VTRAQVE duabus partibus abſoluitur: COGNITIONE & EXECVTIONE. Quare Romani ſeparauerint & Græci, e peculiaribus rationibus fluxit, quas noſtris in rebuspublicis neque obſeruamus, neque Romani ſemper obſeruandas putarunt.

§. L.

Quid ad vnamquamque iurisdictionem de cetero pertineat, ratione vtentibus obſcurum non eſt; modo conſideremus, controuerſias *de meo & tuo* vix poſcere imperium acerbum, ſeu MERVM; bene vero crimina, quæ pacem Reipublicæ perturbant atque artificioſa, quibus publica ſecuritas defenditur, ſtamina rumpunt. Vnde in ceteris dictio iuris ſufficit; imperiumque moderatum, quod MIXTVM appellant Iurisconſulti, tum demum requiritur, quando condemnati proterue ſunt contumaces.

§. LI.

Difficultas omnis e *morum noſtrorum* ac *Romani iuris* confuſione merito repetitur.

§ LII.

Interea ad COGNITIONEM haud temere retu-

retulimus ius exponendi leges, easque applicandi ad factum.

§. LIII.

Exponere leges ſonat, voluntatem Legislatoris indicare, quæ vel ſine laborioſa ratiocinatione in oculos incurrit, vel in *argumento* & *ratione* legum *latet*, perque *conſequentiam* inde deducitur.

§. LIV.

Vnde tota iudicialis iurisprudentia interpretatione occupatur; eoque *iudex*, qua iudex, nec ſeuerior eſt, nec mitior lege: hoc eſt, nec grauius punit, nec delinquentibus gratiam facit; nec nouum ius fundit, ſed præſens cum applicatione ad factum interpretatur, ſicque ſtupidioribus clarius ante oculos conſtituit.

§. LV.

Vnde vix dubium, quin Prætores Romani hac parte modum exceſſerint, quando, ſub obtentu interpretationis, nouas fere leges condiderunt.

§. LVI.

Quod ſi leges nullam commodam interpretationem recipiunt, imperantis voluntas de nouo exquirenda eſt. Qua apparente, *noua* ſimul *lex* apparet, cum prior intelligi non potuerit; eoque nec explicari. Lex obſcura & *inexplicabilis* vero, ſenſu iuris, non eſt lex; hinc quod explicari nunc po-

 teſt,

teſt, legis vigorem habet eiusque *nomen* meretur.

§. LVII.

Sed tota legum interpretatio inutilis foret, niſi factum prius pateſcat.

§. LVIII.

Circa illud duæ quæſtiones oriuntur, *an ſit*, & *quale*?

§. LIX.

PRIOR ad ſubſtantiam eius pertinet, POSTERIOR ad adiuncta.

§. LX.

VTRAQVE lucem accipit vel ex rei ipſius, vt ita loquar, *cognitiſſimis* circumſtantiis, vel *probationibus*, quæ fidem iudici faciunt.

§. LXI.

PROBATIO eſt vel *inartificialis* vel *artificialis*.

§. LXII.

INARTIFICIALIS vel a *parte litigantium* oritur, vel *ab alio*.

§. LXIII.

ILLA dicitur *confeſſio*. CONFESSIO eſt vel *ſpontanea*, vel *extorta*. PRIMA certior videtur *ſecunda*.

§. LXIV.

SECVNDA in *ciuilibus* rarius adhibetur, bene autem in *criminalibus*: vtut hic prouidentia iudicis inſignis requiritur, ne innocentis

centis vita, ſanitas, fortunæ in diſcrimen adducantur.

§. LXV.

PROBATIO, quæ AB ALIO eſt, quam litigante, in TESTIMONIVM reſoluitur atque INSTRVMENTVM: hinc in ciuili iure de *teſtibus* ac *inſtrumentis* tractatur; eorumque valore.

§. LXVI.

ARTIFICIALIS probatio *præſumtionibus*, quid? quod *argumentis certis* conſtat.

§. LXVII.

Præſumtio coniectura probabilis eſt.

§. LXVIII.

Hinc, quia probabilis, lex ei adſiſtit, ita, vt vel onus probandi reiiciatur in affirmantem contrarium, vel maior probatio ſecure negligatur.

§. LXIX.

Prius fit, cum minor adeſt veriſimilitudo. *Poſterius* cum maxima.

§. LXX.

Omnis veriſimilitudo autem, vti in logica oſtendimus, experientia nititur, obſeruationibus ſuffulta indubitatis.

§. LXXI.

In *criminalibus* præſumtiones *indicia* dicuntur. INDICIA aliquando quæſtioni faciunt, pro modo & qualitate veriſimilitudinis.

§. LXXII.

Vt vero iudex ipſe iudicare; ita etiam

 hanc

hanc facultatem, ſi neceſſe ſit, & vtilitas publica flagitet, aliis committere poteſt: qui propterea DELEGATI dicuntur, item COMMISSARII, quorum officium e *mandato*, quod acceperunt, diiudicandum.

§. LXXIII.

Ab his ARBITRI differunt, qui libera voluntate a *priuatis* ad *componendas controuerſias* eliguntur.

§. LXXIV.

Electi vel ex *aequo & bono*, vel *obſeruato iudicii ordine* procedunt: de quibus iterum in priuato iure fuſius.

§. LXXV.

Idem ſummum imperium, quod iudicia *ſumma*, & *inferiora* conſtituit, etiam ceteros MAGISTRATVS creat, quibus tanquam oculis, & auribus vtatur.

§. LXXVI.

Vnde conſequitur, vt eorum partes & ſingula officia a ſumma poteſtate ſemper pendeant; eiusque ſit, nobilitare, eligere capaces, determinare aetatem, abrogare, reuocare, limitare, circumſcribere poteſtatem, deiicere ex cauſſa, quia illius eſt conſtituere ac creare.

§. LXXVII.

Idem vel *ciuiles*, vel *criminales*, vel *militares*, vel *perpetui*, vel *temporarii* innumerique ſunt, de quibus hac in diſciplina generali non agemus.

§. LXXVIII.

§. LXXVIII.

Enim vero cum leges omnes certam rem ponant obiectam, atque tum ſummus Princeps, tum Magiſtratus inueniat, quantum ſuadere poſſit RELIGIO malorum; igitur videndum, quid circa illam poſſint, qui *τὸ κῦρος* in ciuitate gerunt. Et hoc vero intelligi vix poteſt, niſi, quomodo ſe habeat *religio* ad rem publicam, indagemus: quae interea cultum ponit diuinum, tum *internum*, tum *externum*: atque hic vero cantando, laudando & gratias agendo indicat, quid ſentiant homines de ſupremi Numinis potentia, ſapientia aliisque perfectionibus.

§. LXXIX.

Ac certum eſt, homines non religionis gratia coiuiſſe in coetus ciuiles, ſed ſecuritatis & ſufficientiae.

§. LXXX.

Ergo, de quo non cogitarunt coeuntes, de eo etiam diſponere non poterunt imperantes. Vnde *Houtyni* inepta ratiocinatio, ſub abſoluta populi ſubmiſſione etiam ius in conſcientias latere ſomniantis, prorſus concidit.

§. LXXXI.

Quin fingamus, populum fuiſſe initio adeo improuidum, vt ea ratione ſeſe ſubdiderit arbitrio imperantis; ſat tamen ſcio, illud pactum nullius fore ſtabilitatis. Quis enim de veritate poterit paciſci?

§. LXXXII.

Igitur religio, in notitia de Deo & cultu eius conſiſtens, arbitrio ciuitatis merito eximitur.

§. LXXXIII.

Sed cum tamen illa debeat eſſe ſociabilis, ne finis ciuitatum eludatur; hinc inueſtigandum, quid poſſit in illa *turbare* publicam quietem?

§. LXXXIV.

Et omnes conſentient, poſſe imperantes impedire, ne, *ſub obtentu religionis*, ſcelera, fraudes, coniurationes, aliaque nefaria patrentur. Sed probe circumſpiciendum, ne pro conſociatione nefaria, aut ſcelere habeatur, quod tale elogium non meretur.

§. LXXXV.

Quamobrem id manet fixum, non eſſe tolerandos in ſocietate, qui *imperium ciuile reſpuunt* & contemnunt: quoniam fini ciuitatis repugnant.

§. LXXXVI.

Nec ferendos in principatu, qui MONARCHAS de ſolio poſſe deiici, & interfici exiſtimant: quoniam talis opinio, quæ facile in externos actus erumpere poteſt, iſti ciuitatis figuræ plane repugnat, obſeruandumque hac parte, aliqua dogmata in Democratia iure tolerari, aut etiam Ariſtocratia, quæ in Monarchia videtur turbulenta ac pernicioſiſſima. Igitur & illi huiusmodi

di in ciuitate in ſcelere verſantur, qui Principi *ſacris diris deuoto* vel non parendum, vel alii homini externo magis, quam domino ciuitatis, obediendum ſtatuunt.

§. LXXXVII.

Sed caue tamen QVACKEROS iis adnumeres abſolute, quia omne ciuile imperium contemnant. Putant hi, vti bene obſeruauit reuerendus D. *Buddeus*, ſe tantum *non ſubeſſe imperio cogenti*, quod ſponte facerent, quæ ciuitas iubet: aliter ſi ſentiant, expellendos concedo.

§. LXXXVIII.

Multo minus ATHEIS iniuria fiet, ſi non tolerentur. Quamuis enim ſecundum principia, quæ profitentur, non ſemper uiuant; ſed affectus & inclinationes aliis hominibus communes ſequantur; tamen periculum eſt, ne, vbi metus decreſcit, aliquid monſtri alant. Quod ſi tamen & hos tolerare ciuitas ſuo periculo velit, facere id ſine probro impietatis poterit: cum exploratum ſit, non approbare magiſtratus eorum opiniones, quos tolerant. Et hoc eſt, quod *Ioannes Braunius* Theologus reformatæ religioni addictus *Stouppio* Heluetio reſpondit, cum hic *Batauos* nullam colere religionem adfirmaſſet, quod *Spinozam* e ſuis non expuliſſent finibus.

§. LXXXIX.

Addo, nec eos eſſe in ciuitate ferendos, qui

qui diſſentientes ſine conuicio atque innocua ratione ſtatuunt perſequendos. Hoc ſi obſeruaretur, forte dilapſuri eſſent perſecutores, horumque mancipia & inſtrumenta emoritura.

§. XC.

Iam vero cum non vnus, aut alter priuatim religioni ſuæ vacet, ſed in ECCLESIAM, ſeu cœtum coeant plures, videndum, quid imperanti in *hunc*, ſecundum rationis dictata, iuris ſit. Et putant ſaniores, eccleſiam talem iuriſdictioni ciuitatis fere ſubeſſe, vt aliud quoddam collegium externum, ſeu vniuerſitas.

§. XCI.

In quo certe bene iudicant. Nam vt perſonæ phyſicæ rectioni ciuitatis ſunt ſubiectæ, ita *morales* atque *myſticæ*.

§. XCII.

Nec repugno, vt dicatur eccleſia eſſe in republica, non autem, reſpublica in eccleſia.

§. XCIII.

Sed inde tamen vix puto conſequi, vt magiſtratus maiorem debeat habere in eiusmodi *coetu* auctoritatem, quam in *collegio alio.*

§. XCIV.

Tota vero auctoritas imperii ciuilis eo pertinet, vt ne vlla uniuerſitas ſecuritatem ciuitatis externam conuellat, & ſedibus ſuis moueat.

§. XCV.

§. XCV.

Cui non obeſt, eccleſiam non tam collegium priuatum, quam publicum referre, adeoque *maiorem imperantium* in illa requiri POTESTATEM. Facile enim repono, eccleſiam ſocietatem eſſe liberam, quam intrant plures ſponte ſua, vt publice ſeruiant Deo, ſecundum eiuſcemodi modum, quem ipſi ad ſalutem æternam conſequendam cenſent neceſſarium. Hac autem definitione præpoſita, per ſe elucet, non vllam humanam poteſtatem iure aliquid in ea moliri, aut mutare. Quod ſi enim mutaret quidquam, non amplius eſſet ſocietas libera, aut libere ratiocinans; ſed ratiocinia ſua ad voluntatem principis, vel alterius imperantis accommodans.

§. XCVI.

Vnde iterum concluditur, non poſſe aliquid imperium ciuile circa DOGMATA nouare, cum iam veluti poſtulatum a nobis ſit conſtitutum: nihil ſeditioſum ab eiusmodi cœtu doceri: nec plus ei poteſtatis competere, intuitu ADIAPHORORVM, in cultu externo. Nam etſi *adiaphora* videntur mutationi obnoxia & arbitraria; non conſequitur tamen, vt hæc ab arbitrio Principis in ciuitate pendeant. Ipſe hic arbitratur coetus; cumque nulla religio inueniatur, in qua non obſeruentur cærimoniæ, relinquendæ illæ ſunt diſpoſitioni ad unum coetum pertinentium;

tium; ſi quidem libertas religionis permittatur, aut permitti debeat. Cultus internus per ſe liber eſt; nec a mortalium aliquo reſtringi poteſt, quia in animo colentium peragitur. Externus ſine adiaphoris inuenitur nullus: in quo *Maldonatus* recte rationes ſubducit. Quorum electionem liberam qui tollit, libertatem religionis, quam tamen probat, penitus ſubruit.

§. XCVII.

Dices: imperantem conſiderari nunc, vt membrum talis coetus, regero: accedere imperantem eccleſiæ, non, qua imperantem, ſed Chriſtianum, aut ſimilia dogmata probantem. Ex quo nullo negotio intelligitur; neque hac ratione eum velut eccleſiæ caput, aut epiſcopum poſſe conſiderari.

§. XCVIII.

Quidquid imperanti concedendum, eo ſpectat, vt ei generatim INSPECTIO in eccleſiam permittatur, qua prouideat, ne, ſub obtentu vitæ æternæ conſequendæ, turbæ excitentur; ſacerdos ſit, quid id auſit, Doctor, an auditor? per vim externam id efficere ſatagat, an ſub velo religionis, *Zeli*, *excommunicationis*? dolo, an ignorantia? pernicioſa doctrina? an peſſimis exemplis meliores corrumpat? corruptoſque in malis moribus confirmet?

§. XCIX.

Sed vti vero Princeps, vel alii, qui regnant,

nant, non affectabunt ius peculiare circa theatra, forum, hortos, mercatorias domos, vbi inſignis ſæpe hominum multitudo in vnum conuenit; ita nondum cerno, quare *maior* in eccleſiam ſit affectanda *auctoritas*, in qua hominum inſignis multitudo coit, vt ſeruiant DEO?

§. C.

Inquis: ibi de ciuilibus tractari, hic de *ſpiritualibus*. Tum & ego inquam, nondum eſſe probatum, a ſpiritalibus maiorem ciuitati metum impendere. An qui religionis cauſſa ſociantur, maiorum ſcelerum ſunt ſuſpecti, quam mercatores, aut cateruatim in publicis locis conuenientes?

§. CI.

Nec mouet, ſæpe ſub religionis obtentu agitari ſeditiones. Fac factum. Sæpe, ſub ſpecie libertatis exercendi mercaturam, concordia rupta eſt. Ergo puniendi corruptores, puniendi, ut publicæ pacis turbatores.

§. CII.

Sed perpende tamen, turbas in eccleſia maximam partem propterea oriri, quod ſentiendi & credendi libertas intempeſtiue conſtringitur: ac, dum *adiaphora* oppugnantur, ipſum *religionis* corpus petitur, animique ſubiectorum exacerbantur, vel etiam, cum rei *indignitas* creſcit, in deſperationem denique aguntur. Quod in Gallia aliisque Rebuſpublicis vſu veniſſe ſcimus.

§. CIII.

Ceterum ne adfirmes, me imperantibus ſubtrahere, quod vno fere ore omnes permittunt, age notes; me iis generalem in eccleſiam inſpectionem, ceu §. XCII. diximus, quemadmodum in alia collegia fere concedere, nec repugnare, vt Doctores, contra pactum ſocietatis, auctoritate ſua, ad ciuium perniciem & infamiam, abutentes, coerceantur, vel moribus perditi remoueantur, ſeditioſa docentes puniantur, quid? quod inſpectores peculiares conſtituantur, qui vitam ſacerdotum obſeruent, ne extra oleas vagentur, leges, quæ eccleſiaſticos, ciues & iudices ſtringant, præſcribantur, & locus aliquando ac tempus publicorum ſacrorum determinetur, ipſeque ſuam religionem, ſine vi, doceri curet: niſi pacta cum ciuibus obſiſtant, eiusque poteſtas hac parte haud temere ſit reſtricta.

§. CIV.

Interea cum §. IX. dictum ſit, velle ciues SECVNDO, vt contra vim iniuſtam defendantur, per ſe patet, non poſſe imperanti ius belli negari, quodue ad illud pertinet; puta, ius *cogendi militem*, item *muniendi*, cetera, quo interea *moderate* vtendum, vt defendantur ſubiecti, non opprimantur.

§. CV.

Quæ de *moralitate belli* gerendi diſputantur ſupra *cap. IX.* §. 1. *ſeq.* excuſſimus.

§. CVI.

§. CVI.

Bellvm vel *defenſionis*, vel *offenſionis* cauſſa paratur: qua de diuiſione eodem *capite* noſtrum iudicium interpoſuimus.

§. CVII.

Quodnam vero ſit *iuſtum*, quod *iniuſtum*? in theoria & generatim, facile ex præceptis de pactis ſeruandis & non lædendis aliis; in applicatione autem difficulter, vel plane non poteſt decidi. Quis enim hoc ſibi ſumat, vt hunc iuſte, illum iniuſte corripuiſſe arma ſit dicturus? an hoſtis? At tum alteri quoque eadem iudicandi facultas competet. An aliæ gentes? at hæ pares non tantum ſunt, verum etiam vel ab illo, qui bellum gerit, longe diſtant, vel proxime eum contingunt. Si hoc, aut hoſtes erunt aperti, aut odio arcano proſequentur vicinum. Eſt enim finitimis ſemper litigandi materia. Sin illud, circumſtantias totius diſcordiæ nec cognoſcent exacte, nec, ſi cognoſcerent, cum auctoritate de illa, quia ſunt æquales ac clariſſimæ probationes deficiunt, iudicium ferent. An totus orbis? Sed hoc vel nimis oratorium eſt, vel totus nunquam in vnum conſpirabit orbis.

Confer, quæ in diſſertatione de *efficientia metus* cap. II. §. 12. & inprimis §. 14. & 15. diximus: quin addas licet, quæ *cap. XII.* §. *XVI.* ſupra diſſeruimus, hoc loco vix repetenda.

§. CVIII.

§ CVIII.

Id inquiri præſtat, an ad ſolas Respublicas, perſonasque illas repræſentantes ius belli gerendi pertineat? Et obſeruandum, in ſtatu libertatis vnicuique ius belli gerendi competere: quod ſingulis fere capitibus obſeruauimus. Conſtitutis vero ciuitatibus ad eos illa facultas pertinebit, quibus imperium delatum eſt, vel ad imperium exercendum concurrunt.

§. CIX.

Qua viſione bellum SOLENNE dicitur, quod Respublicæ gerunt.

§. CX.

Sed an vero ad iſtud INDICTIO SOLENNIS de iure requiratur? diſputatur. Id permitto, indicendum eſſe bellum ab iis, qui ſe læſos exiſtimant. Poteſt enim adhuc aliquid dubii circa ius & factum occurrere; niſi læſio continuetur & ita perduret, vt defenſio ſine mora ſit ſuſcipienda. Sed vt vero per FECIALES ſolenniter fiat, non conſequitur. Exigit enim externæ pacis cuſtodia, vt pax quæratur: isque minime iuſtus foret dicendus, qui, parte altera non audita, ſine vlla iuris ac facti inquiſitione, præcipiti conſilio ad arma ſit prolapſurus. Ceteræ *ſolennitates* iniuſtitiæ ſæpe commenta ſunt & fuerunt, ſcilicet, vt bellum exiſtimaretur haud *iniuſtum*, vbi obſeruantur IVSTA; aut ſaltem ſuperfluæ videntur.

Confer. *Cap. VIII.* §. *IX. & X.*

§. CXI.

§. CXI.

Qui vero ſint, qui nos lædant, hoſtilemque animum induant, ex ſuperioribus, credo, ſatis pateſcit.

§. CXII.

Belli præludium REPRESSALIAE dicuntur, quæ a *talione* itidemque ab *arreſtis*, vt loquuntur, differunt. TALIO par pari refert: HÆC debitorem eiusque res afficiunt: in REPRESSALIIS autem tam curate ſingula vix diſtinguuntur: hoc eſt, par ſæpe pari refertur, nonnunquam perſonæ, nonnunquam res apprehenduntur, ac perduntur. Iuſtitiæ ratio inde videtur petenda, quod, quæ agit ciuitas, omnes agere & probare cenſeatur, per ea quæ cap. priori adſtruximus.

§. CXIII.

Quæ de ARMIS ILLICITIS itemque LICENTIA in bello diſſeruntur, *cap. IX.* copioſe diſcuſſimus.

§. CXIV.

Illud nondum diſputauimus, quid de OCCVPATIONE BELLICA ſit tenendum. Et certum puto, pacis vinculo abrupto, liberum vnicuique belligerantium relinqui, quomodo cogere repugnantem hoſtem velit. Ergo etiam liberum eſt, prehendere res hoſtis mobiles, eas auferre; & occupare immobiles, quæ, *tertii* intuitu, ſtatim vi-

C c dentur

dentur acquiſitæ, quamprimum apprehenſæ. Sed hoſti vero tam diu recuperare eas licitum eſt, quam durat bellum. Quocirca occupanti tum demum plena ſecuritas obtingit, ſi inter eum & aduerſarium *pax* coaleſcat, occupatumque in manibus victoris maneat.

§. CXV.

Ex quo intelligitur, parum operari diſtinctionem receptam, in *caſtra* ne ſua & præſidium occupantes retulerint res abreptas mobiles, nec ne? Nam *tertius* non poterit iis eripere prædam, quamlibet non retuliſſent. *Hoſtis*, quandocunque poteſt.

§. CXVI.

Ratione SVBIECTORVM vero iniquum erit, denegare damnum facientibus ſua, aut quæ ſua fuiſſe docere poſſunt, ex ea ratione, quia hoſtis cum ſpoliis ad ſua peruenit, aut res ereptas 24. horarum ſpatio, poſſedit. Milites namque noſtri hoſti occupata rurſum eripientes propterea pugnant, & velitationibus decertant, vt defendant ciues eosque feruent, recuperataque veris & antiquis Dominis reſtituant. IVS BELLI, quod vulgo iactatur, ἄλογον eſt.

§. CXVII.

Difficilior quæſtionis ſpecies eſt: an vindicari res ALIENATA immobilis poſſit ab externo populo, qui cauſſam habet ab hoſte vendente, aut alienante? Saltem *Hiſpaniæ*

Rex

Rex *Dunkerkam* repetiit ab Anglis, in quos tranſtulere Galli: nec incognitum, ſupplicaſſe Græcos, vt *Exarchatum* a *Langobardis* ablatum ſibi redderet Victor *Pipinus*: quanquam neuter obtinuit quidquam, belli iure vtrinque in contrarium prætexto. Ego vero animum haud temere induco, *iuſtius* facturum, qui, Victore bellum adhuc gerente, nihil emerit, aut cum eo ne quidquam permutauerit. Quod ſi namque valide talia a Victore, cui tantiſper fauet belli alea, comparari poſſent, nunquam certe recuperare liceret alteri ſua, quamuis, ſecundantibus iterum fatis, proſterneret hoſtem, isque nunc victor eſſet, quin antea infelici ſtrage habebatur victus. Nec acquieturum, credo, repetentem alienata, ſi occineret emptor, aut donatarius illi: *a Victore acquiſiui, qui factus eſt* DOMINVS. Hæc enim *acquiſitio dominii* in cerebro Romanorum ICtorum nata tantum eſt; nec pacem iri quæſitum ab eo exiſtimem, qui, dum bella gerunt alii, tanquam e ſpecula proſpiciens inhiaret ablatis, obtentu emptionis; mercatorem acturus, dum altera pars in eo eſt, vt recuperet amiſſa; animumque redhibendi nondum depoſuit; nec depoſuiſſe cenſeri poteſt, dum feruet bellum: quanquam ſat ſcio, aliter opinari plures, occupationem bellicam pro modo acquirendi habentes *dominiumque*, vbi adhuc incerta om-

 nia,

nia, ſomniantes. Diuerſum foret, ſi quis extrema ab vrbe obſeſſa auertens pecuniam *obſidenti* numeraret, vt recederet, atque interea vrbem ſeruatam retineret, donec ſibi pecunia expenſa reſtitueretur. Quod thema inter *Sueciæ* & *Boruſſiæ* Regem ventilatum meminimus: arguente *hoc* ſimul, Sueciæ Regem ſuo id negotii conſenſu approbaſſe. In contrarium facta & actitata probant, quid *fieri* ſoleat; non autem ius omni exceptione maius. vid. *Grot. lib. III. c. VI.* §. *II.* ac *Barbeyracii* not. 1. *ad h. l.* De rebus mobilibus aliud dicendum, non, quia credendæ ſunt illico ab hoſte acquiſitæ, ſed quia dignoſci haud facile poſſunt; nec obligatus eſt emptor, vt longa perquiſitione indaget, cuius res illæ ſint fuerintque?

§. CXVIII.

Quemadmodum autem omnis occupatio, in bello ſolenni, *publico nomine* fieri debet; ita *ſine permiſſu* facta occupatio in latrocinium incidere videtur.

§. CXIX.

Dico: SINE PERMISSV. Nam ſæpe fit, vt ciues priuato auſu, non tamen, ſine ciuitatis conſenſu, generali, aut ſpeciali oppugnent hoſtem. Et tum vero retinent iſti, quod acquiſiuerunt, *ſecundum legem* a ciuitate præſcriptam, aut pactorum conditiones publica auctoritate munitas. Vnde, quid de CARAVANIS, ADMIRALITATIBVS, ma-

ritimis-

ritimisque excurſionibus, quas *Capereyen* vocant, ſentiendum, patet.

§. CXX.

Quidquid vero publico decreto & apparatu in manus belligerantium peruenit, *fiſco publico* merito infertur; niſi hic iuri ſuo, ratione *mobilium*, renuntiauerit, aut ratione *immobilium*, in fauorem militarium & præfectorum, aliter diſpoſuerit. Quod amplius probat, quam præpoſtere occupatio bellica inter modos acquirendi dominium iuris gentium, etiam priuatorum conſideratione, referatur.

§. CXXI.

Vt vero in hoſtem ire, cum bellum durat, publico decreto & permiſſu licet; ita NEVTRARVM PARTIVM, qui vel amici communes, vel ſaltem hoſtium loco haberi non poſſunt, lædi neutiquam debent, quamdiu in eo ſtatu manent, & *neutri* fauent.

§. CXXII.

Hic ſtatus nonnunquam NEVTRALITATIS *generalis*, nonnunquam *ſingularis* nomine inſignitur.

§. CXXIII.

In HAC pacta interueniunt vel expreſſa, vel tacita, quibus ſtandum tum a parte eorum, qui neutrarum ſunt partium, tum etiam illorum, qui actu bellum gerunt, ne videlicet hi exigant conuentioni contraria, nec iſti faciant.

§. CXXIV.

Belli furore ceſſante ad PACEM omnibus optabilem deuenit ciuitas, ſummum habens imperium, cuius eſt, conciliare illam.

§. CXXV.

Pacem ſæpe præcedunt *induciæ*, vt bellum *repreſſaliæ*.

§. CXXVI.

Ergo de illis videndum primo. Et nituntur vero INDVCIAE VERAE *conuentione* belligerantium, vt *ad tempus* ab armis deſiſtant.

§. CXXVII.

Conuentiones eiusmodi ſancte ſeruandas eſſe, nemo negat.

§. CXXVIII.

APPARENTES induciæ, cum nempe hoſtes, vtrinque feſſi *ſine conuentione* ſibi otium faciunt, huc non pertinent: manet enim hoſtilitas & ius nocendi. Tale exemplum in hiſtoria Seculi XV. inter *Maximilianum* I. & *Venetos* obſeruatur, poſt fœdus Cameracenſe ruptum.

§. CXXIX.

In *veris* vero cum perpetua quies deficiat, tempus certe in conſiderationem veniat neceſſe eſt.

§. CXXX.

CVIVS ratione modo *longius*, modo *breuius*, modo *breuiſſimum* induciarum interſtitium obſeruatur.

§. CXXXI.

§. CXXXI.

POSTERIORIS generis inducias etiam miniſtri Reipublicæ dant; eæque ſeruandæ ſunt vel a toto exercitu, vel, ſi dux ſit inferior, ſaltem ab huius copiis, cum dare inducias officio ipſius contineatur.

§. CXXXII.

Sed quæ ad LONGISSIMVM tempus e. g. in centum annos ineuntur, induciæ quidem nominantur, ſed ridicule. Quis enim, poſt tantum temporis ſpatium elapſum, iniuriarum meminiſſe poteſt, aut meminit? Sed habemus tamen eius generis exemplum apud CONNESTAGGIVM, *de coniunctione Portugalliæ cum Regno Caſtellæ*, a commentatoribus *Grotii* non obſeruatum, vbi *Alphonſus* Rex Luſitaniæ cum *Ferdinando* & *Iſabella* Caſtellæ Regibus pacem pepigit in ſæculum & quod excedit.

§. CXXXIII.

Vbi tempus ponitur, ibi *terminus a quo* & *ad quem* occurrit. Itaque diſputant, VNDE computatio *inchoanda*, quaue hora, quoue menſe *finienda*? *Grotius* primum diem ab initio, quemadmodum poſtremum a fine induciarum excludit: *Puffendorffius* contra vtrumque includit. Neuter argumentis deſtituitur. *Puffendorffii* opinio probabilior doctis videtur, quippe qui magis quieti producendæ, quam contrahendæ fauere ſolent.

Rectius faciunt, qui ambiguæ diſceptationi per verba clariſſima legem dicunt.

§. CXXXIV.

Et per ſe autem intelligitur, tum demum obligari ſubiectos, cum reſciſcunt inducias, quanquam effectus belli ceſſant: & reſtituenda ſunt, poſt tempus perfectæ conuentionis, erepta, niſi aliud placuerit.

§. CXXXV.

Durantibus induciis, vti *arma ceſſant*; ita quæritur, an *reficere moenia*, *conſcribere milites*, itemque *munitiones nouas efficere* liceat? Et circumſpiciendum exiſtimem, ſint ne induciæ non *limitatæ*, & bene longæ, an ad *certos actus* reſtrictæ? PRIORI CASV omnia, quæ enumerauimus, & ad defenſionem pertinent, licent. Vnde eo omnis controuerſia redit, quid pertineat ad defenſionem? Et cum inter eos, qui in libertate viuunt, vix adeo accurate termini defenſionis & offenſionis definiri queant; hinc ancipiti diſputationi ſæpe locus relinquitur. Quid inter Gallos & Germanos de munitionibus, induciarum tempore, exſtructis a 1687. ſit diſceptatum, PVFFENDORFIVS de *R. G. F. W.* lib. XIX. p. 56. ſeq. in vtramque partem recenſuit. POSTERIORI CASV vero a PVFFENDORFII deciſione *I. N. & G. lib. VIII. §. IX.* merito recedimus. Nam quamuis is exiſtimet, in omnibus induciis, etiam vbi obſeſſi & obſidentes duntaxat de mortuis ſepe-

ſepeliendis conueniunt, ius defendendi non excludi; opinor tamen, vltra cogitata non fore extendendam verborum interpretationem. Ergo, quid cogitauerint paciſcentes? quæritur. Sed omnes, puto, conſpirabunt, eo in themate, quando *tantum* ius ſepeliendi petitur, & permittitur, excludi cetera omnia. Ius *defendendi* vero ita videtur circumſcribendum, vt circumſcribitur *oppugnandi.* Quamobrem vti ius oppugnandi poſt finitas demum inducias; ita defendendi incipit.

§. CXXXVI.

Id magis certum, belli indictionem nouam, *elapſo induciarum tempore*, non requiri. Reuiuiſcit bellum ipſo iure, ſi interea controuerſia non fuerit extincta, aut actus, cuius intuitu conceſſa quies, finitus. Quidquid nonnulli, *pacis reducendæ* amore, faciunt, prudentiæ, & honeſtati & magnanimitati facientium, merito tribuitur. Stricto iure occidi, aut in vincula coniici poteſt, qui poſt finem induciarum in hoſtico deprehenditur.

§ CXXXVII.

Quin nec illud prorſus abſonum, aut *prodigio ſimile*, vti apud *Grotium in Hiſtoria Belgica* differebant Hiſpani, continuare bellum in Indiis, & in Europa quieſcere. Etiam noſtro tempore tales in Hiſpania & Italia innotuerunt induciæ. Cur enim non lice-

liceret deſignare agrum, in quo belli maneat materia, & excipere alterum, vbi tranquille peragantur omnia?

§. CXXXVIII.

Ab induciarum iure omnino differt IVS TVTO COMMEANDI. Conceditur hoc certis *perſonis* & *rebus*, vt ſine offenſione & damno eant redeantque. Quidquid litium occurrit, ad ἑρμηνείαν dictorum, aut litterarum pertinet, quæ, ſecundum intentionem paciſcentium, optima ratione inſtituitur. Eum laborem, cum iam in diſſertatione *de litteris commeatus*, per varia exempla occupauerit *Hertius*, *Grotiique* doctrinas maiori luce donauerit, nos ſimili operæ merito ſuperſedemus.

§. CXXXIX.

Itaque de PACE potius, qua penitus exſtinguitur bellum, & bellandi cauſſa obliuioni mandatur, breuibus agemus.

§. CXL.

Et ineunt eam ordinarie *ſummi imperantes*. Vnde probe conſiderandum, quis ſit ſummus imperans, quæue rerumpublicarum conditio?

§. CXLI.

Ineunt cum Rebuſpublicis iisque, qui eas repræſentant, ineunt etiam cum ſubiectis interdum, qui ab obſequio reſiliuere, & peculiaris corporis ſpeciem induere.

§. CXLII.

§. CXLII.

Ineunt bona fide, aut ſaltem inire ſic debent. Vnde *exceptio quod metus cauſſa* locum poſtea non habet, cum ad pacem ſine metu vix perueniant belligerantes, ceu ſupra oſtenſum.

§. CXLIII.

Ineunt vel *pure*, vel *ſub conditione*, vt videlicet tota pactio ab *euentu* alicuius pugnæ, aut *deciſione arbitrorum* ſuſpendatur. An prudenter faciant tali modo tranſigentes, iam non quæritur. De iure nemo ambiget, ſi ciuitas, vel is, qui ciuitatis loco eſt, conſentiat. Ergo quidquid diſputatur, ad quæſtionem *facti* pertinet, *qualem* videlicet *poteſtatem* contrahentes habeant?

§. CXLIV.

Paci pangendæ MEDIATORES, ſeu conciliatores aliquando interueniunt, quorum obligatio, veluti arbitrorum, eſt, vt ſine fraude, procul ab odio & fauore, munere ſuſcepto fungantur. De cuius præcepto neglectu nunquam non querimoniæ audiuntur. Vnde multi principes *ſine interuentu conciliatorum* ad pacem procedere maluerunt. Exempla Suecorum in *Oſnabrugenſi* & Gallorum in *Pyrenæa* nota ſunt.

§. CXLV.

Pace facta, ſecuritatis gratia *pignora*, *obſides*, *fideiuſſores*, ſeu GVARANDI, quid? quod *iusiurandum* & *ratihabitio accedit*, de

quibus

quibus omnibus *cap. XXIX.* & *cap. XVII.* ſuis locis egimus.

§. CXLVI.

Similiter, concordia inter belligerantes partes redeunte, redire quoque dicuntur tum *perſonæ*, tum *res poſt limen:* vnde de iure POSTLIMINII apud ſcriptores iuris gentium longa tractatio; ſed quæ mirifica confuſione vel deformatur, vel admodum ieiune adtingitur.

§. CXLVII.

Si quid tamen recte ſtatuitur, hoc ſane eſt, quod victus populus reciperet res ſuas, & captiui itidem, quæ relinquere ſunt coacti, cum in hoſtium veniſſent poteſtatem, iura ſua reſumant. Cuius reuerſionis vim atque effectum *ius poſtliminii* appellare ſolemus; dummodo ne animum inducat quisquam, vniuerſa, Romanis approbata, iuris eſſe naturæ, vel gentium.

§. CXLVIII.

Sed quum tamen aliquis redire domum queat feruente adhuc bello; ita *poſtliminium* conſiderari aſſolet, velut eſt *ante pacem*, vel *poſt pacem.* Vtrumque LIBERATIONEM ab hoſtium *manu* præponit, ſiue ad eos, qui ſocii noſtri, vel ſaltem hoſtes non ſunt, ſiue eo, vnde aliquid ablatum, vel in captiuitatem abducta perueniat *perſona*, aut *res.*

§. CXLIX.

Nihil enim amittit *iure ſimplici naturæ;* qui

qui capitur; nihil quoque, dum manet res; capiatur perſona cum re, an res ſine perſona? Iniquum quippe foret, addi afflictionem afflicto: cuius conditio commiſeratione potius digna, dum hoſtis iram ſenſit, certus, an vnquam ab eius liberandus poteſtate foret?

§. CL.

Igitur nulla prorſus *iuris fictione* tota res indiget, perierit captiuus, an vixerit? Romani vero, etiam ratione ſuæ ciuitatis, captiuum apud hoſtem habebant pro ſeruo, ac capite minuto, cuius omnia ſimul iura in ciuitate eſſent exſtincta: quandoquidem ſeruus ciuis Romanus non erat, nec aliquid proprii poſſidebat. Quod eſt exſtinctum recipi nequit, niſi tollatur impedimentum, ſeu *mors ciuilis.* Ergo per fictionem æquitate ſubnixam tollebant iſtud, partim fictione *iuris poſtliminii*, partim *legis Corneliæ*: quibus mediis interea hac in diſciplina neutiquam opus eſt, quoniam nihil domi amittit captiuus, ac multo minus pro ſeruo iure neceſſario reputatur. Hinc qui nihil iuris amiſit, nihil quoque receperat, quia *omnia*, ratione ſuæ ciuitatis, *retinuit*: cumque poteſtas patria Romana a ſimplicitate naturali nimium quantum diſcedat; hinc pateſit, *vtraque fictione* impune nos carituros, cum FILIVS non ſit *ſeruo* Romano ſimilis, qui omnia acquirat Patri; nec *Pater* DESPO-

TÆ,

TÆ, cuius dominium & ius acquirendi morte demum perimatur. Igitur nec mors fingenda, nec vita morali ſenſu reſtituenda reduci ex captiuitate, quia reapſe mortuus non eſt, non *phyſice*, non item *moraliter.*

§. CLI.

Quæ amplius adiecere Romani, eo pertinent, vt exponerentur vocabula *hoſtis*, *captiui*, *liberati*; ſimul-atque ab hoc iure excluderentur, qui ſe dedidere ſponte, ac iuris ſui, alioquin recuperandi, indigni erant: ſicuti nec *veſtes*, nec *arma* indipiſcebantur, ea indigniſſime abiicientes, aut amittentes.

§. CLII.

Ex quo claret, haud temere ſeparaſſe Titium, *in obſeruationibus ad Lauterbachium*, POSTLIMINIVM *inter gentes* a POSTLIMINIO *ciuitatis*, ex qua *quid* captum, aut *ciuis* denique in hoſtium poteſtatem eſt redactus. *Poſterius* pro re nata variat, *prius* non item: niſi quid pactis in pace ſigillatim definiatur. Nam quod durante adhuc bello ante pacem redit, aut inimicorum poteſtati eripitur, meum iterum eſt, ſicque ad dominum venit, quod fuit ante ſuum, absque ficto poſtliminii iure, in *patria* verſetur iaceatque ereptum, an apud *tertium*, *amicum communem*, an belli *ſocium*? Sat eſt, hoſti nihil amplius ea in re poteſtatis eſſe, non

ex

ex iure, non facto: quemadmodum nec illico prior dominus ſuum recipere poteſt, ſi hoſtis ad tertium detulit, atque ibi depoſuit. *Communis* namque amicus neutrarum eſſe partium creditur: & quoniam id ponitur, hinc ſupra definitum eſt, illum quoque nec emere ſcienter, nec alio modo acquirere conari, quod amicus vnus amiſit, atque alter tantiſper tenuit, vel tenet adhuc. Occupatio bellica cum effectu pleno, quam aliqui, Romano iure imbuti, depereunt, tam diu quieſcit, donec pacificatio clarius determinet, quis nunc pro *domino* irreuocabili ſit habendus: idque iam ſupra §. *CXVII.* monuimus.

§. CLIII.

Etſi enim certum videtur, hoſtem victorem leges omnes ſibi præſcribendas iure ſpernere; eoque rebus captis vti atque abuti; non ſequitur tamen, vt tertius ſtatim, qui hoſtis non eſt, ſeſe interponere ac rem victi ſibi ſeruare, eo obtentu, poſſit, ac ſi videlicet illam comparaſſet ære ſuo a Victore Domino, dum interea nec victi, nec vincentis hoſtis eſſet. Rectius enim facturus is fuiſſet, ſi animum habendi rem adhuc *dubiam* ac certo modo *litigioſam* oſtendiſſet nondum: quod *prioribus* merito exiſtimauimus addendum, ne quem de novo vrat depulſa obiectio.

§. CLIV.

§. CLIV.

An vero captiui *recipiant libertatem*, ſi nihil de ea *ſingulariter* conuentum? quæſtio facti eſt; quid nempe cogitauerint paciſcentes? idque regulis bonæ interpretationis ad liquidum perducitur. Aliquando etiam, pro numero captiuorum, λύτρον ſoluitur, ſi plura ſunt capita vnius in poteſtate, quam alterius. Λύτρον itidem conuentio definit, quam *Cartel* appellamus vulgo.

§. CLV.

Bello & paci vti inſeruiunt *foedera*; ita dubitandum non eſt, quin IVS PANGENDI FOEDERA pars ſit ſummæ poteſtatis.

§. CLVI.

De *foederibus* ipſis eorumque diviſionibus *cap. XI.* §. 33. ſeq. ſatis diſſeruimus.

§. CLVII.

In his autem occurrunt LEGATI. *Legati* mandatarii ſunt: de quibus ſilere poſſemus, quia eorum officium *cap. XXII.* & *XXIII.* copioſe ſatis delineauimus.

§. CLVIII.

At cum tamen peculiare IVS LEGATORVM permulti animo depingant, videndum hac de re amplius.

§. CLIX.

Et dicuntur illi, cum liberam negotia tractandi poteſtatem habent, *plenipotentiarii.*

§. CLX.

§. CLX.

Vnde valde errant, qui hoc nomen aut honoris eſſe exiſtimant, aut etiam PLENIPOTENTIARIVM legato characterem habenti apponunt.

Conf. *Furſtenerius de Suprematu Principum German.* Cap. 6.

§. CLXI.

Deinde quidam ſunt primi ordinis legati, qui AMBASSADORES hodie appellantur, a voce *Ambacht*, quæ eſt Teutonica: ſunt enim illi *officiales* ſuæ Reipublicæ.

§. CLXII.

A quibus diſtinguuntur ſecundi ordinis legati, miſſi, nuncii, ABLEGATI, ENVOYÉS.

§. CLXIII.

ILLI, dicente *Hertio* V. C. FACIEM REIPVBLICÆ ſecum afferunt, ac proinde eo, quo mittens, honore ſunt colendi, qua mos & ratio non refragatur. Abſurdum enim foret, *Maieſtatis* elogium affectari a Legatis. *Excellentiæ* titulus ſæculo præcedente inualuit.

§. CLXIV.

Hi *repræſentatitio* charactere atque circumpoſito ſplendore deſtituuntur, miſſi propterea, vt ſumtibus parcatur & negotia interea facilius ad exitum deducantur, nullis cærimoniarum tricis obſtantibus.

Conf. *Hert. prudent. Ciuil. part. I. Sect. IX. §. VII.*

§. CLXV.

Vtrique ſunt vel *ordinarii*, ſeu aſſidui, perpetua legatione fungentes, vel *extraordinarii*. Hinc primi & ſecundi ordinis legati perpetui, ſeu ordinarii ac temporarii, ſeu *extraordinarii* dantur.

§. CLXVI.

Ex quo patet, falli nonnullos, qui *extraordinariis* legatis maiorem auctoritatem ac nonnihil prærogatiui iuris, præ ceteris, tribuunt.

§. CLXVII.

Tales legatos mittunt ſumma poteſtate, ſeu maieſtate pollentes. Nam etſi quisque priuatorum mandatarium mittere ad alterum poteſt; tamen is nequit præſtare, vt maior legato, quam leganti competat auctoritas. Subiecti vero, ſeu priuati parent, & leges accipiunt ipſimet; eoque mandatariis illorum *Legati* nomen vix tribuitur.

§. CLXVIII.

Sed caue exiſtimes, ſtatim, cum mittitur *legatus*, eum iure gentium quocunque tempore fore INVIOLABILEM: requiritur primum, vt *admittatur*.

§. CLXIX.

ADMISSIO autem *voluntatis* eſt, non *neceſſitatis*, tametſi nihil cauſſæ repudianti ſuppetit: quidquid in contrarium *Grotius* moliatur.

§. CLXX.

Sicuti enim nemo cogitur, vt legatum alteri

alteri mittat; ita etiam nemo per ſe obſtringitur, vt legatum accipiat.

§. CLXXI.

Ergo iniuriæ loco haberi nequit, Legatum non eſſe admiſſum, niſi quidem cum conuicio reiiciatur. Quod *Guſtavus Adolphus* Sueciæ Rex *Ferdinando II.* Cæſari obiecit, cum ipſi aditus ad conuentum pacis Lubecenſis præcluderetur.

§. CLXXII.

Multo minus vitio dari gentibus poteſt, ſi legatum *aſſiduum* recipere nolint, vti *Poloni* olim ac Turcæ. Sed cum mos inualuerit, vt & hi in omnibus fere aulis degant, minus forte *decorum* foret, eos non recipere hodie.

§. CLXXIII.

Admiſſo legato *ſecuritas* ſaltem tacite, ſi non expreſſe, promittitur.

§. CLXXIV.

Sed probe circumſpiciendum, an quis ſit admiſſus? vnde & peculiari conuentione & litteris *commeatus* opus eſt, antequam ex *hoſtico* veniat legatus.

§. CLXXV.

Et tum vero SECVRITAS ſummatim conſiſtet in *defenſione* ab *iniuriis*, in *libertate ſermonis*, in *immunitate a foro*.

§. CLXXVI.

DEFENSIO AB INIVRIIS, vtut omnibus in territorio aliorum pacata ratione viuentibus

tibus iure naturæ; ita legatis eorumque comitibus *ſpeciatim*, dum publica fide venerunt, debetur.

§. CLXXVII.

Hinc laudatur *Ferdinandus III.* qui *Sparrium* Ducem copiarum, alias ſibi chariſſimum, cuſtodiæ mancipari iuſſit, quod litteras paullo petulantiores ad Venetum Legatum dediſſet.

Conf. PRESBEVTAM *de Iure Legat. Imp.* p. 141. plura colligentem exempla; adde *Vicqueforiium*, *Kulpiſium*, aliosque, qui de Legatis eorumque iuribus cateruatim ſcripſerunt.

§. CLXXVIII.

Sed caue tamen, ne pro iniuria accipias, quod non eſt.

§. CLXXIX.

MINÆ autem ſpeciem iniuriæ continent. Vnde & ab his tutus præſtandus.

§. CLXXX.

Nec committendum, vt LITTERÆ, quas mittit, & quæ ad legatum mittuntur, aperiantur, vt CVRSORES violentur, qui mittuntur ac remittuntur.

§. CLXXXI.

Eiuſmodi ſecuritas durat, etſi bellum inter Legati Dominum, ac ciuitatem, vbi degit, oriatur, propter ſecuritatem *generatim* & *ſine limitatione*, etiam in hunc caſum, promiſſam.

§. CLXXXII.

§. CLXXXII.

Quod ſi vero quadantenus reſtringatur libertas Legati, vel notum iam ante receptionem fuerit, quid ciuitas, vbi agit, poſtulet, tum & legatus legi ſeſe accommodet, quia vel expreſſe conſenſiſſe, vel tacite in eam videtur. Ita non poterit ASYLVM concedere malitioſe *delinquentibus*, etſi hæc libertas legatis olim, & alias fuiſſet relicta. Neque enim ius quæſitum allegari poteſt ab eo, qui *factum*, non *rationem*, habet pro argumento. Quod Pontifex Romanus *Lauardæi* Gallorumque omnium querelis repoſuit.

§. CLXXXIII.

Eodem modo eorum dignitati vix repugnat, quando præſcribitur, vt pacem cum *aliis*, vtut *hoſtium legatis*, ſeruent. Secus facientes ſibi tribuant, quando pro legatis amplius non habentur.

§. CLXXXIV.

Quid? quod, etſi pactum non interceſſiſſet expreſſum; puto tamen, non eſſe obſtrictam ciuitatem, vt *hoſtilia molientes* intra pomoeria ſua toleret.

§. CLXXXV.

Id magis dubium, an iure talionis Reſpublica occidere legatum queat, propter ſuum legatum ab alio principe, aut imperante occiſum? Et *iure ſtricto* fieri id poſſe putem, quia hoſtis mei ſubiecti itidem tractan-

 tur

tur vt hoſtes. Quidquid in contrarium diſputatur, ad magnanimitatis regulas pertinet.

§. CLXXXVI.

Aliud foret, ſi *concurſu* populi, aut in *ſeditione*, aut per inſidias læſus ſit legatus. Tum enim videndum, an ſumma poteſtas huius ſeſe facti participem reddat, aut iſtud approbet? Ita nihil tribui culpæ *Philippo IV.* potuit, cum Reipublicæ Anglicanæ legatus *Madriti* ab ignotis hominibus eſt occiſus; multo minus *Britannis*, quando ædes miniſtri *Hiſpanici* Londini expilauit plebs vltima. Auxiliares namque læſo manus ſunt porrectæ & acriter puniti ſceleris conſortes. Neque enim Regum quisquam impedire ſemper malorum ciuium facinora poteſt.

§. CLXXXVII.

Libertas sermonis propterea concedenda eſt, aut poſt admiſſionem conceſſa videtur, quoniam mandata exponere ſua legati obligantur: quod ſine eiuſcemodi facultate fieri non poſſet. Vnde hi recte ad libertatem prouocant. Exempla *Presbeuta*, & *Kulpiſius* ſuppeditant. Fuitque hac parte magnus Turcarum *Vezirius* prorſus ſtolidus, qui Franciæ Regis ablegato, iura Principis ſui exponere laboranti, alapam infringi iuſſit, cuius vi dentes innocenti excuſſi ſunt aliqui. Qua de re *Ricautius* Lectorem inſtruet in *deſcriptione imperii Ottomannici* p. 34. ſ.

§. CLXXXVIII.

§. CLXXXVIII.

Sed caue, ne *libertatem loquendi* cum LICENTIA permutes: quamuis *licentia* non ſit, cum Legatus feruentius Domini ſui cauſſam tuetur: reprehenditurque a *Vaſſore* GVSTAVVS ADOLPHVS, Suecorum Rex, baculum oſtendens *Stephano* Galliæ Regis miniſtro, pro Bauariæ Duce enixius inſtanti.

Dicatur de *Pontifice Romano*, cuius aures omnium ſemper impatientiſſimas deprehendit *Cardin. Oſſatus.*

§. CLXXXIX.

Immunitas a FORO loci eam ob cauſſam permiſſa videtur, quod tanquam alieni domini adminiſter eſt receptus, in quem recipienti nihil poteſtatis competit.

§. CXC.

FORVM eſt vel *ciuile*, vel *criminale.* Hinc ad vtrumque reſpiciamus oportet.

§. CXCI.

Quod ad PRIMVM, elucet ſane, legatum e CONTRACTV non poſſe in ius trahi, aut pignora capi, aut obſides ab eo poſci. Etſi enim legatus peccat, qui æs alienum contrahit, nec ſoluit, aut id, quod dare, vel facere debet, non præſtat; tamen iudicari ab alio, quam a Domino, non poteſt. Vnde recte faciunt, qui ſibi ſubiectos certiores hac de re reddunt, ne poſthac importune conquerantur, aut turbas excitent. Quod in Anglia nuper factum meminimus, occaſione Ruſſici legati.

 §. CXCII.

§. CXCII.

Quocirca *Presbeuta* vix conſentio, qui legatos pinguiori, ac priuatos hac in cauſſa frui negat. Quidquid in medium affert, eo duntaxat pertinet, legatum non ſoluentem non habere iuſtas conquerendi cauſſas, ſi adigatur ad ſoluendum. Quod permitto. Solum quæritur, per quem ſit cogendus? Illi vero prorſus a ſcopo abludunt, qui intrantes aliorum dominorum territoria ac regna ſine diſcrimine eorum *ſubiectos temporarios* dicunt, & ideam miniſtri alieni, qui pro tali eſt agnitus & conſequenter in ſubiectorum numero ab recipiente non habitus, ex animo dimittunt, ſubditum ſomniantes, cui definitio ſubditi, ratione eius, ad quem mittitur, nunquam competiit.

§. CXCIII.

Igitur de FORO CRIMINALI circumſpiciendum. Et adfirmant plures cum ratione, legatum recipientis iurisdictioni minime ſubiectum videri, ſed domino mittentis ad puniendum fore remittendum, ſi crimen in *priuatos* fuerit commiſſum: a quo nec *homicidium* excipiendum.

§. CXCIV.

Nam quamuis nonnulli exiſtiment, ea recipi legatum conditione, vt tranquille viuat, nec crimine ſeſe commaculet; non habent tamen ſat rationis, vt eum propterea

alieni

alieni domini pœnis ſubiiciant. *Puniendus* eſt, ſed a DOMINO PROPRIO.

§. CXCV.

At vero, ſi in ipſam Rempublicam, aut Dominum, ad quem miſſus eſt, aliquid moliatur, aliud ſine dubio dicendum. Nam quod nec ipſi, ſi adeſſet, Domino liceret, id multo minus eius adminiſter & procurator impune ferat. Vnde omnino a ſcopo *Furſtenerius* abludit, qui DOMINOS inuiolabiles pronunciat, quamlibet inſidiatorum aut hoſtium perſonam induant.

§. CXCVI.

Aliud eſt quæſitum, num ex regulis prudentiæ etiam tale legati facinus ſit diſſimulandum, isque extra fines reipublicæ potius deportandus, quam occidendus? Quod in *Polonia* nuper Gallico legato factum ſcimus. Eodem conſilio *Cromwellus* vſus eſt, cum *Bellievrius* turbas in Britannia excitaſſet.

§. CXCVII.

Interea caute prouidendum, ne criminis inſimuletur legatus, qui forte miniſtros alterius ciuitatis largitione commoda ad partes heri ſui pertraxit. Eſt hoc cuiusque miniſtri apud extraneos agentis *finis*.

§. CXCVIII.

Vti vero LEGATI PERSONA, ceteris paribus, in tuto collocanda; ita ÆDES legati, & CVRRVS, aut NAVIS eadem ſecuritate frui debent.

§. CXCIX.

§. CXCIX.

Nam etſi dignitati legatorum repugnat, verſuram facere, aut defraudare telonium; non efficient tamen hæc omnia, vt propterea veſtigatoribus ciuitatis facultas ſit permittenda, ſcrutandi res, currum, nauemque miniſtri. Quid Venetiis *Mancheſtrio* Britanniæ Legato contigerit, memoria tenemus: ſed ſcimus etiam, eum fortiter fuiſſe a Britannis defenſum.

CC.

Ceterum de SIGNIS HONORIS, quæ petunt legati, ambigua diſceptatio eſt, partim quod a *conſuetudine* & *moribus* cuiusque ciuitatis id dependet, partim *pactis*. Sed putem tamen, eum, qui liberæ ciuitatis miniſtrum recipit, vt faciem Reipublicæ ſecum ferentem, conſentire quoque, vt legatus iisdem, quibus respublica, honoribus fruatur, aliisque priuilegiis vbiuis gentium receptis. Cetera a beneuolentia regnantium ac liberrimo eorum arbitrio dependent.

§. CCI.

Vnde eo ſæpe diſputatio redit, an quis ſit *miniſter liberæ ciuitatis*, quæ tales honores exigere queat?

§. CCII.

Diſceptatur quoque, quousque REPRÆSENTATITIVS extendi CHARACTER debeat? Nam & ſupra affirmauimus, repræſentare adminiſtrum Principem, quoad *mos* & *ratio* per-

permittunt. Ita eundem non affectabit titulum, quem herus; nec præcedere Regem præſentem conabitur; vel, dum facit, ægre non ferat, ſi repulſam accipiat.

§. CCIII.

In ABLEGATIS eius generis lites vix occurrunt. Nam etſi hi quoque Dominos ſuos *repræſentant in agendo*, non repræſentant tamen in honoribus, adeoque vix affectabunt adeo amplos.

§. CCIV.

Sed caue tamen, *ſecuritatem* & *ſanctitatem* eorum ad honores referas.

§. CCV.

Fruuntur iſti eadem, qua legati cum charactere, immunitate. Illud δεῖγμα eximium huc nequicquam facit.

§. CCVI.

Nec dubium, quin & RESIDENTES eodem pertineant. Nam *reſidens* ſeu legatus aſſiduus ablegatus ordinarius eſt: quamuis vulgo aliter exiſtiment, erroremque praxis tueatur.

§. CCVII.

AGENTES autem & TVBICINES non alia iura, ac ceteri procuratores, & mandatarii habent.

§. CCVIII.

Illud adhuc quærendum, an Legati IVRISDICTIONEM in ſuos habeant? Et nihil forte difficultatis occurret, ſi de domeſtico-

rum

Digitized by Google

rum litibus inter ſe controuerſiæ ſtatus ponatur. Habebunt tum omnino. Sed quid ſi cum ciuibus aliquid negotii intercedat? quid ſi cum alterius Legati famulis; atque hic iuſtitiam deneget? Et exiſtimem, forum delicti & forum legatorum concurrentem iurisdictionem nacturum. Quod ſi vero hic iuſtitiam deneget, non recte reprehendi magiſtratum, aut alios legatos, ſi ipſi vindictam in peccantes exerceant. Quid nuper *Vltraiecti* contigerit, recordamur.

§. CCIX.

De cetero cauendum, ne quis *domeſticorum* numero audeat comprehendere, qui vt magiſtratus ſui iram effugiant, in ædes legati ſe recipiunt. Quidquid in contrarium affertur, moribus & indulgentiæ illius, ad quem mittitur miniſter Reipublicæ, acceptum ferri debet.

§. CCX.

Plura de legatis non addimus, ne nimium excreſcat *Synopſis* noſtra.

§. CCXI.

Igitur ad VECTIGALIA procedamus, & bona, quæ partim *imperantium conditio*, partim *iurium maieſtatis exercitium* requirit.

§. CCXII.

Et præponimus namque, neceſſaria eſſe imperantibus ad imperii dignitatem conſeruandam BONA. Vt autem quædam adſcribantur FISCO, quædam ÆRARIO, neceſſe non

eſt.

eſt. Ita oſtendit *Schilterus*, in Germania olim *ærarium* & *fiſcum* non fuiſſe diſtincta. Nec incognitum, ſub Imperatoribus Romanis *fiſci* & *ærarii* diſcrimen nullum in actibus rerum eſſe obſeruatum aliquando: quanquam ex iure ciuili innoteſcit, ÆRARIVM Reipublicæ neceſſitatibus deſtinatum fuiſſe, ac *fiſcum* Principis patrimonium publicum eſſe dictum, a PRIVATO ipſius PATRIMONIO diſtinctum: quod poſtremum peregrina hodie voce *Scatoul* inſignitur. Vide, quæ ad *ff.* de *procuratoribus Cæſaris* diſſerui.

§. CCXIII.

Quod ſi tamen *imperantibus* quædam adſignauerit ciuitas, quorum prouentu magnos & regios ſumtus toleret, videndum certe, quo pacto tribuerit? an pro ſe & ſucceſſoribus? ceu fieri fere in *rebus immobilibus* conſueuit.

§. CCXIV.

Hoc enim ſi eſt, nulla, ſine conſenſu concedentium, alienatio locum habebit, nulla oppignoratio, nulla itidem præſcriptio, aut vſucapio. Hinc BONA CORONÆ & DOMANIA, quia ſunt talis conditionis, alienari non poſſe exiſtimantur. *Neceſſitas* legem non habens ad quæſtionem vix pertinet.

§. CCXV.

Tantum peruidendum, an reuera ſint *domanialia*, de quibus quæſtio mouetur? Sæpe *feudalia*, ſæpe *patrimonialia* Principum

hic

hic commiſcentur: in quibus ex aliis fontibus deciſio petenda.

§. CCXVI.

Quin haud raro de facto potius, quam iure diſputatur: ſitne conſenſum a populo, nec ne? ſitne accepta pecunia in vtilitatem Reipublicæ verſa, an ſecus?

§. CCXVII.

Enim vero ambiguum adhuc manet, an omnia ADESPOTA *ipſo iure* pertineant ad imperantes? Et opiner, eiuscemodi res, e ſola ſummi imperantis idea, dominio publico non ſubiici.

§. CCXVIII.

Quanquam enim conſequi videtur: hæc res priuatorum dominio exempta eſt, ergo ad publicum dominium pertinet; tamen dubitatur, ſitne potius res dicenda nullius, antequam ea alicuius denuo efficiatur propria?

§. CCXIX.

Quare vel factum populi, vel factum imperantis requiritur, vt res dominio ſingulari vacua publica fiat.

§. CCXX.

Populus enim in fauorem imperantis iuri renunciare ſuo poterit: Regnantes autem ex imperio ſibi conceſſo occupandi libertatem adimere ſubiectis poterunt, ex ea inprimis ratione, quod non tam ius *quæſitum*, quam *acquirendum* intercipiatur incertum.

§. CCXXI.

§. CCXXI.

Nec ambigendum, quin, ſi neque hæc, neque illa ad reipublicæ molem ſuſtinendam ſufficiant, etiam ius ſummæ poteſtati competat, aliquid e ſubditorum bonis, aliorumque, qui non nihil vtilitatis e civitate noſtra aſportant, tributi, aut vectigalis nomine, decerpendi, vt ſic fiſcus, vel ærarium augeatur.

§. CCXXII.

Hinc liberum eſt, in *freto*, in *via publica* aliquid exigere.

§. CCXXIII.

Nam etſi quidam de vectigali, quod, occaſione freti, poſcitur, dubitationem mouerunt; tamen id ex inuidia potius, & proprii commodi ſtudio vel factum eſt, vel etiam nunc fit. Neque enim abſolute neceſſarium videtur, vt tum demum, eoque loco vectigal requirat ciuitas, vbi aliquid expendit. Sat eſt, prætemauigantes non ſine lucro, aut commoditate illo freto vti, cuius firmare aditum facile liceret.

Commendentur, quæ *Barbeyracius* pro Danorum iure ad *Puffendorf. Lib. III. cap. III.* §. 7. itemque *Auctor defenſionis contra Moleſvvorthi calumnias* in medium tulere.

§. CCXXIV.

Quomodo vero tributa ſint imponenda, an *pro modo fortunarum* cuiusque, an *ratione immobilium* tantum, an eorum denique intuitu,

intuitu, quæ, *victus amictusque* gratia, conſumuntur? prudentiæ regentium relinquitur.

§. CCXXV.

Collectandi autem iure conceſſo, nouum ſummæ poteſtatis ius exoritur, vt & priuatorum *expenſis* moderari, ciuibus *leges ſumtuarias* præſcribere, *abuſum* rerum prohibere, rationem acquirendi & conſeruandi bona ſignare, noxia commercia interdicere, ineptas *donationes* impedire, rerum pretia determinare, abuſus inueteratos tollere, ac nouas lucrandi occaſiones ſuppeditare poſſit.

§. CCXXVI.

Quid? quod ſi neceſſitas vrget, idem imperium ciuile omnia bona, vel eximiam eorum partem vni, vel alteri iure aufert; ſed ita tamen, vt, quod adimitur quibusdam, vel de publico, vel collatione ceterorum ciuium damnum facientibus rependatur. Quod imperium *eminens* potius, quam *dominium* dici debet: niſi quidem λογομαχίαν totam litem exiſtimes.

§. CCXXVII.

Atque ita quidem *præcipua* imperii iura propoſuimus, nulla adhibita diſtinctione inter iura *maieſtatis maiora* & *minora*, vtpote quæ aut nullum in actibus rerum vſum habet, aut ſaltem in hac diſciplina plane inanis eſt. Neque enim vnum ius magis eſt, *maieſtaticum*, quam alterum. Alio ſenſu qui

maiora

maiora vocitant, quæ *vim* quandam *ſingularem* imperii ſecum ferunt, vt *belli pacisque ius*; ac *minora* dicunt, quæ in vtilitatibus atque emolumentis certis conſiſtunt, vt *ius vectigalium*, *metallifodinarum*, cetera, tolerantur; cum de definitionibus nominalibus nemo certet ſapiens.

§. CCXXVIII.

PLVRA qui fingunt *maieſtatis iura*, ad *abuſum* fere incitant Principes, atque eorum aliquando *tyrannidi*, quæ eſt mera inſipientia, adulantur: quorum de inuentis in *prudentia ciuili* tractabitur.

§. CCXXIX.

Quæ vero ex unoquoque iure conſequa ratione deducuntur, ſeorſum docenda non ſunt: cum jam in iis, quæ generatim propoſita, lateant.

CAPVT XXXVII.

DE DIVERSA RERVM PVBLICARVM FORMA SEV VARIA MAIESTATIS MODIFICATIONE.

§. I.

IVra maieſtatica ſimul ſumta *ipſiſſima maieſtas* ſunt, ſeu ſumma poteſtas; hæc itidem *merum* ius, quod diuerſis nominibus inſignitur.

§. II.

Quæ, vbi in vna *perſona* ita coaleſcunt, vt *vnam voluntatem* totius ciuitatis, vnamque quaſi *vitam* atque *animam* efficiant, formam dicuntur conſtituere certam.

§. III.

Talis *perſona* cum etiam in *Ariſtocratia*; vbi PAVCIORES & MELIORES itemque in *Democratia*, vbi POPVLVS, ſeu PLVRES regnant, inueniatur, conſequens eſt, neque has deſtitui FORMA.

§. IV.

FORMA eſt vel *regularis*, vel *irregularis*.

§. V.

ILLA dicitur, non quæ regulam habet, ceu ſomniant aliqui, ſed in qua *imperii vis* obſeruatur & ſubiectum cognoſcitur illico, in quo illa reſideat integrè.

§. VI.

Quæ ſicuti cum in *Ariſtocratia*, *tum* in *Democratia* ſeſe exſerit clare; ita perperam ſtatuuntur iſtæ *irregulares*, ceu fere *Hobbeſius* perſuadere ſuis voluit: quamuis diffitendum non ſit, ἐνεργειαν poteſtatis ſummæ in Monarchia apparere paullo celerius. Sed inde tamen abſone concluderetur, deficere ſic vitam in huiusmodi *formis*.

§. VII.

Multo minus recte aliquis ex eo inferret, Monarchiam *optimam* Reipublicæ ſpeciem eſſe, aut Ariſtocratiam & Democratiam peſſimas. Neutra *abſolute* optima eſt

Inueniuntur in vnaquaque *commoda*, inueniuntur etiam *incommoda*. De comparatis autem in vtramque diſſeri partem poteſt.

§. VIII.

Sufficit, in *omnibus* vnam voluntatem inueniri, cum opus eſt iſta: ſiue ea deinde ab vna perſona phyſica, ſiue myſtica, hoc eſt, collegio, certisque curiis exerceatur.

§. IX.

Quin falſum eſt, quod credunt nonnulli, in *democratia* imperare *omnes*, & *ſingulos*, aut tum ſtatim adeſſe *democratiam*, vbi *plures* coeunt.

§. X.

Nec magis verum, antiquitatem aliquid huic, vel illi *formæ* prærogatiuæ conciliare. Nam etſi REGNVM omnium *memoratur primo*, non ſequitur tamen, vt, quod *primum* eſt, ſit *abſolute optimum*. Qui *Democratiæ* ſpeciem omnium primam dicunt, ratiocinationibus indulgent, vbi de facto diſceptatur.

§. XI.

Id quæri dignum, an perduret uita & *anima ciuitatis vna*, etiamſi vel ELECTIO obtineat, vel SVCCESSIO? Et putem id *contingentibus* adnumerandum, quæ vnitatem nec efficiunt prorſus, nec tollunt. Scilicet *electio* & *ſucceſſio* perſonas tangit, non autem modum regnandi definit, nec illum impedit, nec multum promouet. Imo *ſuc-*

ceſſio pæne ab antecedente electione pendet; vnde qui ſuccedunt, e populi eligentis voluntate primæua ſuccedere videntur.

§. XII.

Quæ *regula* non infringitur, *primum genitus* ſuccedat ex ſorte naſcendi? an qui Patre natus eſt Rege? legitimus, an filius naturalis, mas, an femina? quamuis cum ad ſanguinem primum electi conſeruandum reſpicitur, legitimorum *maior* fauor ſit, atque *certior* ortus; nec tanta *dignatio ſequiori ſexui* obtigerit, quanta *maſculino*: cuius ratio obuia eſt certe vniuerſis.

§. XIII.

Ceterum SVCCESSIO vel *pura* & *illimitata* eſt, vel *limitata*.

§. XIV.

ILLAM appello cum a certa familia *non diſceditur*; ſimul-atque ordo ſuccedendi in anteceſſum eſt ſignatus. HANC, vbi ex certa familia eligendus demum eſt, qui ſit regnaturus: qualis ſucceſſio in *Dania* obtinuit olim.

§. XV.

ORDO ſucceſſionis vel SENIORIBVS ex familia fauet, vel LINEAM primum geniti præfert, qui propterea *linealis* dicitur.

§. XVI.

LINEALIS vel *agnaticus* eſt, vel *cognaticus*. COGNATICVS & maſculos admittit & feminas ex linea delecta: qualis ſucceſſio vulgo

vulgo appellatur *Caſtellana.* AGNATICVS tantum maſculos includit, feminas excludit: eaque ſucceſſionis ſpecies vocatur *Francica.*

§. XVII.

Quod ſicuti ab arbitrio populi primigenio pendet; ita vel *euidenter* omnia ſunt diſpoſita & definita: vel aliquid *ambiguitatis* adhuc in prima diſpoſitione remanſit. *Poſterius* ſi contingat, commoda interpretatio non negligenda eſt quidem; ſed vereor, vt multum proficiant doctores; aut populi vox finitura ſit litem. Neque enim parti vtrique deerunt rationes; ac populi fauor vero contrariæ factioni ſemper videbitur ſuſpectus.

§. XVIII.

Cumque arbitraria populi de ſucceſſione diſponentis voluntas dicitur; per ſe patet, plures poſſe excogitari ſucceſſionis ſpecies, quam indicauimus. *Mauri* FRATRES defuncti regnatoris præferre ſolent FILIIS; vt qui certius participare illius ſanguinem creduntur, quam qui pro filiis eiusdem habentur. Etiam alternatio aliquando inter filios placet, antequam ad *primi ſucceſſoris* DESCENDENTES redeat Principatus: quem modum Germani noſtri *Mutſchierung* appellitant, isque aliquibus in prouinciis obſeruatus eſt interdum.

§. XIX.

Ad noſtrum propoſitum vero ſat eſt,

adnotari varia themata, & ſuccedendi modos diuerſos; quos ius naturæ neceſſarium determinare nequit; nec quemquam illorum reſpuit interea.

§. XX.

Quin addas, velim, animaduerti non ſolum ſucceſſionis ordinem in Monarchiis, verum etiam in Ariſtocratiis, quid? quod Democratiis: qua de re *Hertius* euoluendus in *element. prudentiæ ciuilis* part. I. ſect. X. n. 9.

§. XXI.

Quod quemadmodum iterum ab arbitrio populi paciſcentis, aut etiam aliquando a *violentia* procedit, ita admodum decipiuntur, qui inde fontem cauſſamque rerumpublicarum irregularium vnice repetunt, atque, vbicunque populus cum imperante paciſcitur, vitam, atque vnitatem imperii tolli, aut ſaltem vehementer imminui cum *Hobbeſio* contendunt.

§. XXII.

Abſonum quippe eſt, POPVLVM tantum paciſci inter ſe, non autem Imperantes cum populo, ne rumpatur imperii energia, aut tollatur. Perinde namque hoc eſt, atque ſi quis ſtatueret, tolli patris auctoritatem, vel vehementer concuti, cum is aliquid liberis promittit ſuis.

§. XXIII.

Potius auſim adfirmare, etiam in ciuitatibus,

tibus, quibus VIOLENTIA ortum dedit, non deeſſe pacta Principum cum populis, ſub iugum licet miſſis. Conſentiunt namque 1) vt maneant coniuncti, vt 2) agnoſcant nouum Dominum pro vero imperante 3) vt hæc vel iſta maneat ciuitatis forma regimenque.

§. XXIV.

Quidquid differentiæ occurrit, in eo cubat, quod pactum hoc loco incipiat a capite, ac principe victore; altero caſu vero initium ducat a populo, ſui adhuc iuris exiſtente. Sat eſt, nullam *ſine pactis* Rempublicam concipi, & *imperantes* interea *iubere*, *ſubiectosque obedire*.

§. XXV.

IVSSIO, ſeu IMPERIVM HERILE vero vtut diſtingui mente poteſt a paterno, ſeu rectorio; timeo tamen, ne in *concreto* & applicatione illa diſtinctio nullius momenti ſit, quia iſte modus regendi & imperandi in actibus rerum vix comparet diſtincte. Quod enim in mente imperantium, ac paciſcentis populi lateat ſimul-atque variis obtentibus eludi poteſt, nullum certe in controuerſiis gentium præſtare vſum poteſt: eoque in praxi (*) herilium atque rectoriarum rerumpublicarum diſtinctio concidat neceſſe eſt; multoque minus *herile imperium* ciuitatem efficiet a regula declinantem, etiam ſi tale regnum ſimul in patrimonio foret, in quo, alienandi facultatem Rectori

competere aliquando iure poſſe, defendimus. Saltem *Sinenſium* imperium ſat lene eſt; & tamen eorum Principes e domo regnatrice futuro imperio deſtinant, quem volunt, &, quando non reperitur in ea ſucceſſor, ſuo iudicio, dignus, alium nominant pro arbitrio. Ex quo, præter ea, quæ cap. XXXIV. animaduertimus, perſpicue elucet, nomen *patrimonialis regni* duntaxat horridum videri, rem autem non item, Doctoresque id verbi cauillari, ceu vocem *regni uſufructuarii*: immemores, omne ſimile claudicare, remque comparandam cum comparata in vno ſolo *tertio* conuenire.

(*) v. *Thomaſ.* ad *Huberum* L. I. S. VIII. c. 3. n. 20.

§. XXVI.

Igitur reſtat *poteſtas ſumma* TEMPORARIA, quam deflectere a regula credunt quidam. Negat etiam *Bodinus*, eam poſſe *certo tempore* circumſcribi. Quod non habet ſatis argumenti: dummodo cetera recte ſint conſtituta. Ad naturam poteſtatis *duratio* ac tempus nihil facit, quanquam maiorem is incutit terrorem, qui *perpetuo* maieſtatis ſplendore micat, quam, qui *temporario* iure eſt ornatus. Quidquid diſceptatur, ad exempla pertinet. *Grotius* Dictatori Romano ſummam adſcripſit. *Puffendorfius*, & *Boeclerus* negarunt. Idem de Tutoribus dubium obiectum fuit. Sed ipſe *Dionyſius Halicarnaſ-*

ſeus

ſeus Dictatorem vt ſumma poteſtate fulgentem deſcribit. *Hertius* vero, quod ad tutores, ita expoſuit *Grotii* doctrinam, vt de iis potiſſimum ea ſit intelligenda, qui ſummam ſimul auctoritatem a populo acceperunt, vti *Odo* Franciæ Rex, ac noſtra ætate REGENTES in Gallia.

Confer. *Hertius* Element. prudent. Ciuil. *part. I. Sect. VII. n.* 8. *p.* 129.

§. XXVII.

Ergo potius IRREGVLAREM definio Rempublicam, vbi maieſtas pluribus, ſimplici ſolum obligatione coniunctis, vel *diuiſim* in ea competit, vel *indiviſim*.

§. XXVIII.

REGVLA enim eſt a natura Reipublicæ petita, vt ita ſit connexus ſtatus, ne vna illa voluntas impediatur; omnisque ſciſſio tollatur, nec controuerſia de iure poteſtatis reliqua maneat. Talis vnitas eſt anima Reipublicæ: ad eam totum artificium tendit.

§. XXIX.

Ex quo prorſus confutatur, qui in rebuspublicis quibuscunque, etiam in Germania, *regulam* offendi clamitant. Neque enim *hoc* ad κρινόμενον pertinet, an adſint leges? verum, an ita illæ ſint comparatæ, vt ne remora iniiciatur ſpiritui imperii vitali, nec unus alterum impediat in iurium exercitio.

§. XXX.

At iam vero facile deprehendemus, non poſſe

poſſe ſeruari *vnitatem*, vbi aut plures *indiuiſim*, quemadmodum in *dyarchiis*, aut *tryarchiis* imperant, aut ita iura ſunt *diuiſa*, vt penes *principem* ſit ius belli, penes *ſenatum* pacis, penes *populum* tributorum. Ea ratione NEVTER habebit maieſtatem, quia cuique nonnihil deeſt: neuter conſpirabit, niſi cum metus externus vrget, aut potentia infirmiorem cogit. Potius quisque alterum, quando vult, in ſui iuris impedire exercitio poterit.

§. XXXI.

Talem Reipublicæ ſpeciem qui appellant MIXTAM, ferendi quadantenus ſunt, ſi mixtum idem ſonet atque *irregulare*.

§. XXXII.

Et tum vero concidet fortaſſis *decantata* mixtæ reipublicæ *formoſitas*: quam acutiſſimus *Sidneus* Anglus aliique mente depingunt.

§. XXXIII.

Dico mente. Extra mentem enim nihil ſuauitatis deprehenditur, nihil concordiæ, niſi ex accidenti. Vnde etiam *Hertius* emendandus, qui ſub *irregulari* Republica felicem ſæpius vitam viui ſcripſit. Felicitas quippe, pro diuerſa relatione atque comparatione, varias ſpecies induit. Polonia ſeruatur in turbis; taliſque felicitas oritur aliquando ex contingenti, quam neutiquam miratur, aut approbat ſapiens.

Adde *Bælii* meditationem *dans les penſées diuerſes ſur la comete* de felicitate Germanici regni.

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Vnde nunc facile diiudicatur quæſtio: an LEGES, quas vocant, FVNDAMENTALES, *irregularem* efficiant ciuitatem? Et credam, quidquid *Grotius* diſtinguat inter obligationem, quæ cadit in exercitium actus, & quæ directe in ipſam facultatem. Conſtat certe poteſtatem ſic fieri deuinctam, & cogi poſſe; nempe, vt ſic, non aliter expediatur adminiſtratio imperii. At *ſupra* demonſtrauimus, ſummum imperium ſolutum eſſe a coactione.

§. XXXV.

Vnde patefit, quid de TEMPERATIS rebus publicis, quas regularibus atque irregularibus alioquin interponunt, habendum ſit? Summum imperium, aiunt, manet, penes perſonam vnam, *phyſica* ſit, an *myſtica*; ſed exercitium quorundam iurium fit per certum collegium, cui iſtud committitur, aut hoc uni iterum committit perſonæ, ſeu Principi: taliaque temperamenta obſeruari igitur cum in monarchiis, tum polyarchiis.

§. XXXVI.

Verum vt, quod res eſt, fatear, aut eadem cantilena, quam accepere a *Grotio*, occurrit, aut nihil ſingulare affertur. Quæritur, an libere committat is, cui facultas committendi exercitium iurium maieſtatis tribuitur? Si HOC, manet forma *ad regulam* compoſita; & tum nihil noui dicitur. Sin ISTVD,

ISTVD, nempe, vt obſtringatur ad committendum; cogique poſſit, vt committat; inſulſus certe ſit oportet, qui non intelligat *maieſtatis diuiſionem*, aut ius exercitiumque *pro indiuiſo*. Immo vero ius ſummum non eſt, quando eius exercitium liberum deficit. Nam & ipſum ius libertas eſt, per ea, quæ cap. III in medium tulimus.

§. XXXVII.

Id verius eſt, a *ciuitate ſimplici* differre COMPOSITAM, quam *σύϛημα* ciuitatum dixeris.

§. XXXVIII.

Multi vero SYSTEMATA ciuitatem ad irregulares reſpublicas referunt: tametſi non habent rationem.

§. XXXIX.

Quod vt eluceat, videndum primo, quomodo coaleſcant diuerſæ ciuitates.

§. XL.

Et accidit illud ea ratione, vt vel *vna* fiat *textura*, vnum os, vti *Sabini* coaluere cum Romanis, vel, vt maneant ciuitates *diſſimiles*, ſuasque leges retineant, etiamſi in publicis regni conuentibus admittuntur, vti nunc *Scotia* iungitur *Angliæ*; vel denique, vt inſtar APPENDICIS primariæ ciuitatis habeantur regna & prouinciæ, ceu vetere in imperio Romano.

§. XLI.

De IIS non loquimur, quoniam non manent prorſus *diuerſæ* ciuitates.

§. XLII.

§. XLII.

Et HAE vero vel ita coniunguntur, vt EADEM perſona imperet diuerſis corporibus, vti CAROLVS VI. imperat *Hungariæ*, *Bohemiæ*, *Neapolitanis*, vel vt accedat PECVLIARE FOEDVS, cuius vi quædam ſummi imperii partes coniunctim ſunt exercendæ, e. gr. vt eosdem habeant hoſtes, eosdem amicos, ceu *fœderatum Belgium*, *Heluetii.*

XLIII.

PRIORIS generis Respublicæ non ſunt ſyſtematicæ: tametſi a multis ita vocantur, quoniam *non adeſt coniunctio.*

§. XLIV.

Ergo de POSTERIORIBVS ſermo eſt. Et hæ vel ſunt *regulares*; vel *irregulares.*

§. XLV.

IRREGVLARIS eſſe videtur, cum latenter & quaſi fortuito ita ciuitas aliqua magna in eum ſtatum delabitur, vt plures nouæ quaſi ciuitates ſurgant, quæ cum vno quodam capite vtcunque connexæ, ſed locis, iuribus, adminiſtratione disiunctæ, laxo imperii vinculo ſub ANTIQVIS interea SCHEMATIBVS ſubſiſtunt: qualis eſt *imperium Romano Germanicum*, in quo CAESAR aliqua iura præcipua ſeruat, alia ELECTORES, PRINCIPES, COMITES, CIVITATES, ſub antiquis *nominibus* exercent; cumque extra imperii conuentus conſiderantur, ſeorſum quaſi agere & imperare videntur: indeque

deque eſt, quod nonnulli Auctores imperium noſtrum depingant vt fluctuans inter *Monarchiam* & *συϛημα fœderatorum.*

§. XLVI.

Et eiuſcemodi Reſpublicæ, cum non vno momento, ſed variis caſibus, bellis, conuerſionibus, religionis diuerſitate ac ſuſpicionibus in neruum erumpentibus, in talem formam abierint, non quidem conuiciis proſcindi debent; ſed nemo tamen eas pulcerrimas & ſuauiſſima harmonia conſpirantes appellare cogitur.

§. XLVII.

Quo ſenſu ferri poteſt MONSTROSAE reipublicæ appellatio. *Regularia* certum & artificiale nomen gerunt, quia ad artem omnia, quam reipublicæ natura poſcit & patitur, coagmentata ſunt. *Irregularia* diſtincto nomine carent & confuſa vagaque voce ſignantur; prorſus ac domus, nihil, quod architecturæ congruat, oſtendens, ſine *peculiari* nomine indicatur, vel inter *irregulares* per auerſionem refertur. Eſtque iam cognitum, plures in orbe Europæo *irregulares* inueniri ciuitates, quam regulares: quod malum *ſtultitia* regnantium videtur peperiſſe: ita vt *minus malum* nunc habeatur pro *bono.*

CAPVT XXXVIII.

DE MORBIS ET MORTE CIVITATIVM.

§. I.

VIta ciuitatis in vnitate virium & voluntatum conſiſtit ad verum *finem*, ſecuritatem puta, & *αὐτάρκειαν* efflorefcens.

§. II.

Quum vero aliquid ex illa vnitate vel imminuitur, vel tollitur, vel fini ciuitatium contrarium infertur, *morbus* incipit, aut *mors* ſubſequitur.

§. III.

MORBVS eſt vel *hominum*, vel *ſtatus*. HOMINES vel ſunt *imperantes*, vel *ciues*.

§. IV.

MORBVS STATVS vel e *communione* maieſtatis, vel *diuiſione* venit, vel denique e *defectu virium*.

§. V.

De *prioribus* capite præcedenti diximus.

§. VI.

Ex quo claret, omnes *irregulares* respublicas poſſe dici *morbidas*, non autem *morbidas* viciſſim *irregulares*. Quod in notis ad *Puffendorfium* non videtur obſeruaſſe *Hertius*.

§. VII.

§. VII.

Ita monarchia manet monarchia, ariſtocratia ariſtocratia, democratia democratia; vtut imperantes ſummam virtutem in *potentia* & vi bellica ponunt, aut *diuitiis*, aut *voluptatibus*, aut, quod raro accidit, in *paupertate*, aut etiam ciues non faciunt, quod ſui eſt officii. LANGVENT hæ ciuitates & ad interitum vitio regentium ciuiumque inclinant: etſi interea de numero *regularium* non ſunt euellendæ.

§. VIII.

Idem dicendum eſt, vbi DEFECTVS virium tantum deprehenditur. Inde enim Respublicæ quidem *clientelares*, *feudales*, *vectigales* oriri poſſunt, ſed quæ ceteroquin manent *regulares*.

§. IX.

In CLIENTELARIBVS fœdus inæquale inuenitur: quod ſine imminutione maieſtatis poteſt fieri.

§. X.

FEVDALES fidem & operam debent ex pacto ſeu contractu: VECTIGALES pacem aut tutelam annua penſitatione redimunt: in reliquis manet illibata ſumma poteſtas.

§. XI.

At MORS vero, vel *penitus* extinguit ciuitatem, vel in *aliam ſpeciem* quaſi per *μετεμψυχωσιν mutat.*

§. XII.

§. XII.

Etſi enim non *interit* populus mutata *forma*; tamen, hac conuerſa, ſubſtantia huius, vel illius ciuitatis videtur interire. Monarchia enim, ariſtocratia, & democratia inter ſe vtique *fine*, hoc eſt, *eſſentia* differunt.

§. XIII.

MVTATIO vel *volentibus* contingit ciuibus, vel *inuitis*.

§. XIV.

VOLENTIBVS, quando, manente republica, vel *plures ciuitates* in *vnam* coaleſcunt, vel vna in *plures diuiditur*.

Conſ. *Puffendorf. Lib. VIII. cap. XII.* §. 1. ſeq.

§. XV.

INVITIS, quando *inuaſores* ſuperueniunt vel *externi*, vel *interni*, hoc eſt, in ſinu ciuitatis degentes.

§. XVI.

INVASOR EXTERNVS hoſtis eſt, quamdiu populus in eius imperium, quod animo intendit, nondum conſenſit.

§. XVII.

Igitur depelli poteſt, &, ſi depellatur, acta eius reſcindi poſſunt. Vt rata habeantur, forte publicæ vtilitatis cauſſa ſit; ac fieri poteſt, non autem debet. Ita *Conſtantinus Magnus* quædam a *Licinio* inſtituta probauit, vt *Carolus II.* quædam *Cromwelli*.

Ff §. XVIII.

§. XVIII.

Sed num vero *inuaſorem agnoſcentes* auxilium iis ferre queant, qui ſunt depulſi? ſpinoſa quæſtio eſt. Sed placet ſententia negans. Nam cum tam diu ciuis imperanti ſuo credatur obſtrictus, quam diu eum defendere, ac ſe ipſum poteſt, per ſe ſequitur, poſſe ciues quacunque ratione conſulere ſibi, ſi ſpes illa decollet. Tantum abeſt, vt perfidi poſſint appellari in hunc ſtatum redacti.

Conf. quæ ſupra cap. XII. §. XXIX. diſſeruimus; add. *Hobbeſius, Corp. Polit. Part. II. cap. II. n.* 15.

§. XIX.

INVASOR INTERNVS vel ipſe eſt *populus*, vel *vnus* ex *populo*, vel *pauciores*.

§. XX.

Populi inuaſionem *factiones* præcedunt, ſæpe etiam *ſeditiones*.

§. XXI.

Vnde quæritur, an POPVLVS vnquam in Republica *regulari* contra PRINCIPEM, vel OPTIMATES gladium educere e vagina iuſte poſſint?

§. XXII.

Multi preces ſuadent, lacrymas, & patientiam, humana ſæpe maiorem, iis inculcant, ſi imperans abſoluta poteſtate polleat. In quo recte faciunt. Nam quamuis querimonias ſat videantur habere iuſtas, & de *tyrannide*, quæ eſt dementia, grauiter expo-

poſtulent; tamen res difficilis eſt diſceptationis, an reuera ſit tyrannus, qui ſic reus peragitur? Populus non habet iudicium: maiora ſuffragia in tumultu non concludunt: maieſtas realis & perſonalis inuenta ingenii otioſi ſunt; adeoque non deerit ſemper principibus, vel optimatibus, quod reponant. In abſtracto facile decidi tota quæſtio poterit, quando ea ratione formatur ſtatus controuerſiæ: an, illi, qui PERNICIEM ſubditorum quærit, poſſit reſiſti? At quis quærit perniciem ſubditorum, niſi furioſus? Cum furioſis non eſt bellum. Ceteris obtentus non deſunt. In irregularibus aliter res eſt decidenda. Tuetur hic vnusquisque ius ſuum e pactis quæſitum.

§. XXIV.

Ergo de eo *inuaſore* circumſpiciendum, qui *vi* atque *dolis* ad ſummam poteſtatem, veluti *Julius Cæſar*, graſſatur. Et hic pro hoſte habendus, quemadmodum inuaſor externus, quamdiu nondum eius probatum eſt imperium. Eo approbato vix eſt, vt cædes inuaſoris, in quo *vitium eſt purgatum*, extra crimen collocari queat, vti recte arguit ad *Velleium* Boeclerus.

§. XXIV.

Sed *penitus* vero interit ciuitas cum omni forma, ſi vel *vniuerſi* ciues deleantur, vt in terræ motu, vel multitudo, morali vinculo cohærens, *diſſipetur*, vti Troiani, &

 Scoti

Scoti a *Maximo* leguntur diſperſi, vel deniqve in *prouinciæ* formam reſpublica redigatur: qualia exempla proſtant infinita.

§. XXV.

At caue exiſtimes, *mutationem loci* ſolam, aut oppidorum, aut detractionem munimentorum, ablationem armorum eius generis mortem inferre. Sic Athenienſium Reſpublica in naues conſcendens non periiſſet. De conatu Batauorum, cum *Ludouicus* XIV. eos primo impetu maxime terrefeciſſet, res in vulgus nota eſt.

§. XXVI.

Caue extingui cenſeas *ciuitatem monarchicam*, cum per INTERREGNVM, quod *lege, arbitrio*, *caſu* contingit, certi imperantis poteſtas aliquamdiu ſuſpenditur. Durat eo tempore tota ciuitatis ſtructura, ſuntque interea vicaria poteſtate regentes, donec in vnum conueniant eligentes *nouum* Dominum. Quæ remedia ſint excogitanda, ne diſſipetur, aut detrimenti quidpiam capiat publica res, in lectionibus politicis ſpeciatim expenditur.

§. XXVII.

Caue idem euenire putes, cum *ciues* vel *ſine* civitatis, vel *cum* eius *conſenſu alio* diſcedunt. Manet enim tum *eadem* ciuitas: etſi ciues eximuntur imperii vinculo, vbi territorio antiquo excedunt. Vnde dubium non eſt, quin etiam eorum extinguatur *officium*:

cium : idque, quod de *amore* in patriam nonnulli inſulſe & confuſe afferunt, flocci fit merito. Locus atque ædificia non ſunt *patria*; &, quod alioquin de PATRIA recte ſe habet, ponit, aliquem adhuc loci natalis legibus eſſe ſubiectum. Alium *dominum* habens *huic* paret iuſte : quamuis prudentius agat, qui contra ciues priſtinos arma non fert, ne ſe iudicio vulgi inepto exponat, aut truculenti Principis ſimul-atque ſtupidi plumbeas iras ſentiſcat victus. Confer *Puffendorfii* diſſertationem doctam de *patriæ amore*; ex qua *Praſchii* paralogiſmos de *caritate patriæ* ſine negotio corrigas.

§. XXVIII.

Id magis ambiguum, an ciues *ſingulatim*, vel gregatim diſceſſuros impedire ſumma poteſtas poſſit? Et diſſentiunt hic auctores. Ego exiſtimo, fieri id *propter pactum* poſſe : quamuis vbiuis fere receptum ſit, vt *cenſus emigrationis* ſoluatur, abeatque, qui cupit. Quod quam non ſit iniquum, ratio iam allegata peruincit. Neceſſitatis caſum ſemper excipimus; intempeſtiuamque diſceſſionem approbabimus nunquam, pactum adfuerit, an minus. Impium enim foret euadere, cum ciuitas oppugnatur ab hoſte.

§. XXIX.

Ceterum ex eadem æquitate manat, ciuem ſine cauſſa non poſſe *expelli*, aut *derelinqui*.

§. XXX.

CAVSSA vero vel antecedens *delictum* eſt, vel itidem *neceſſitas*.

§. XXXI.

Vnde indicium fit, quid reponere *Aquitanis* apud *Froiſſardum* potuiſſent Galli, eos, neceſſitate coacti, cedentes Angiis? quid Burgundis? cum *Franciſcus* eos ceſſiſſet *Carolo V*.

§. XXXII.

EXILIVM vel *ſolitarium* eſt, vel cum *ademtione* bonorum coniunctum. Prius non tollit omne ciuitatis ius: poſterius extinguit. Ita Romani *relegationem* a capitis diminutionibus rite ſeiunxerunt.

§. XXXIII.

Quid vero *pactum* efficiat, aut *ſeruitus gentium*, ſupra cap. XXXIII. fuit edoctum.

FINIS.

CONSPECTVS CAPITVM IVRISPRVDENTIÆ NATVRALIS.

CAP. I. *De Lege, & quæ ad illam reſpicit Iurisprudentia naturali eiusque effectibus.* pag. 3
II. *De primo Iuris naturalis principio.* 22
III. *De ſtatu hominum diverſo, inprimis libertatis & imperii.* 32
IV. *De applicatione Iuris ad factum ſ. imputatione.* 41
V. *De non contemnendis aliis in ſtatu libertatis.* 54
VI. *De non contemnendis aliis in ſtatu imperii ſ. ciuitatis.* 64
VII. *De Iure contemti in contemnentem tum in ſtatu libertatis, tum ciuitatis.* 71
VIII. *De non lædendis aliis tam in ſtatu libertatis, quam ciuitatis.* 75
IX. *De iure læſi in lædentem & huius obligatione ad reſarciendum damnum in ſtatu libertatis.* 80
X. *De iure læſi in lædentem & huius obligatione ad reſarciendum damnum in ſtatu ciuitatis.* 96
XI. *De non turbandis aliis ob pactum, huiusque natura in genere.* 104

Cap. *XII. De effectu pactorum ſ. conuentionum in ſtatu libertatis & inter gentes.* p. 117
XIII. De effectu pactorum in ſtatu ciuitatis. 139
XIV. De non lædendis & turbandis aliis per ſermonem in genere. 146
XV. De non lædendis & turbandis aliis per ſermonem in ſtatu libertatis. 155
XVI. De non lædendis & turbandis aliis per ſermonem in ſtatu ciuitatis. 159
XVII. De iureiurando. 165
XVIII. De effectu iuriſiurandi in ſtatu libertatis. 171
XIX. De effectu iuriſiurandi in ſtatu civitatis. 174
XX. De dominio. 184
XXI. De cauſa & effectu dominii in ſtatu libertatis. 211
XXII. De cauſis & effectu dominii in ciuitate. 222
XXIII. De rerum pretio dominii acceſſorio & inde profluentibus commutationibus. 235
XXIV. De rerum pretio & permutationibus in ſtatu libertatis. 266
XXV. De rerum pretio & permutationibus in ſtatu civitatis. 294
XXVI. De coniugio. 313
XXVII. De coniugio in ſtatu libertatis. 325
XXVIII. De coniugio in ſtatu civitatis. 328

CAP. *XXIX. De parentum & liberorum ſocietate.* p. 337
XXX. De parentibus & liberis in ſtatu libertatis. 344
XXXI. De parentibus & liberis in ſtatu civitatis. 350
XXXII. De dominis & ſervis. 355
XXXIII. De ſervitute in genere. 360
XXXIV. De dominis & ſervis in ſtatu civitatis. 364
XXXV. De civitate. 367
XXXVI. De iuribus maieſtatis. 374
XXXVII. De diverſa rerum publicarum forma, ſeu varia maieſtatis modificatione. 433
XXXVIII. De morbis & morte civitatium. 447

INDEX I.

AVTORVM IN HOC LIBRO ALLEGATORVM.

A.

ALberti (*Valentinus*) 26
Alteſerra (*Dadinus*) 165, 330
Appianus 279
Apuleius 368
Aquinas (*Thomas*) 134
Ariſtoteles 26
Arnoldus *Lubecenſis.* 273
Aubery (*Ludovicus*) 61
Auerani (*Ioſephus*) 307, 312
Auguſtinus 148, 151, 153
Anton (*Iohann. d'*) 289
Autor defenſionis contra *Molesworth* calumnias 431

B.

Bælius (*Petrus*) 118, 127, 442
Balduinus (*Franciſcus*) 102
Barbeyracius (*Iohan.*) 77, 103, 123, 143 209, 260, 270, 271, 303, 309, 378, 404, 431
Becmannus (*Iohann. Chriſtoph.*) 220
Belcarius (*Franciſcus*) 281, 286
Beyerus (*Georgius*) 301
Blondellus (*David*) 61
Bodinus (*Iohannes*) 293, 368
Boeclerus (*Ioh. Henricus*) 26, 61, 74 440, 451

Boileau *Deſpreaux* 76
Bonfinius (*Antonius*) 127
Boxhornius (*Marcus Zuerius*) 289
Branchu (*Balthaſar*) 8
Braunius (*Iohannes*) 393
Brenckmannus (*Henricus*) 336
Brenneyſen (*Enno Rudolph.*) 247
Buddeus (*Ioh. Franciſcus*) 30, 154, 332, 493
Buffier 56
Bynckershœck (*Cornelius van*) 198, 203, 204, 228

C.

Cabrera (*Ludovicus*) 277
Calixtus (*Georgius*) 26
Calovius (*Abraham*) 154
Camdenus (*Guilielmus*) 75, 212
Carneades 117
Carpzovius (*Benedictus*) 176
Chatre (*Edm. de la*) 217
Chiffletius (*Ioh. Iacob*) 60, 102
Cicero 26, 162, 188
Clericus (*Iohan.*) 309
Cocceius (*Henricus*) 26, 91, 196, 197, 217, 336
Comineus (*Philippus*) 309
Connanus (*Franciſcus*) 109
Conneſtaggius (*Ieremias*) 407
Conringius (*Hermannus*) 31
Cruſius (*Iacob Andreas*) 60
Cumberland (*Richard*) 31, 376
Curcellæus (*Stephanus*) 20
Czecherod (*Iohann. Peſſina de*) 128

D.

Daniel (*Pere*) 119
Diogenes *Laërtius* 288
Dionyſius *Halicarnaſſeus*

ſeus) 175, 351, 440
Duirſſema 307
Du Pin. *Vid.* P.

E.

Engelbrecht (*Chriſtoph. Iohann. Conrad.*) 221
Eremita (*Daniel*) 62

F.

Felden (*Iohannes* 49
Filmerus 339
Finckelthuſius (*Sigiſmundus*) 176
Filtz - Moritz *Vid.* Lettres
Furſtenerius. 62, 425

G.

Galenus 365
Gaudentius (*Paganinus*) 328
Gentilis (*Albericus*) 83
Godofredus (*Iacobus*) 60
Granzius (*Tobias*) 382
Gravina (*Ian. Vincent.*) 21
Gronovius (*Iohann. Fried.*) 191, 277
Grotius (*Hugo*) 10, 17, 26, 27, 52, 87, 88, 114, 118, 120, 126, 129, 152, 159, 169, 173, 176, 191, 196, 209, 212, 213, 217, 218, 269, 270, 271, 272, 273, 277, 290 292, 303, 305, 348, 359, 372, 378, 404, 407, 409, 410, 440
Grotius (*Gulielmus*) 30
Guicciardinus (*Franciſcus.*) 280

H.

Hedingerus (*Iohann. Reinhard*) 30
Heinſius (*Daniel*) 356
Henninges (*Henr.* ab) 282
Hertius (*Ioh. Nicol.*) 67, 83, 103, 110, 158, 173, 234, 239, 253, 265, 270, 273, 287, 348, 361, 366, 375, 410, 417, 438, 441, 448
Hobbeſius (*Thomas*) 18,

26, 31, 35, 37, 108, 134, 163, 164, 171, 243, 371, 450
Hochſtetterus (*Andreas Adam*) 154
Houtyn 391
Huberus (*Ulricus*) 122, 133, 148, 154, 174, 216, 366, 368

I.

Iuſtinus 277

K.

Klauſingius (*Henricus*) 20
Kulpiſius (*Iohannes Georg.*) 20, 109, 192

L.

Leibnitius (*Godofred.. Guilielm.*) 26
Lettres *de Fits Moris* 131
Livius 278, 279, 287, 292, 363,
Loccenius (*Iohannes*) 272
Lockius (*Iohannes*) 40, 77, 84, 337, 339, 378

M.

Maldonatus (*Iohan.*) 396
Mariana (*Iohannes*) 119, 130
Matthæi (*Antonius*) 177
Mazarini 292
Melanchton (*Philippus*) 30
Meteranus (*Immanuel*) 277
Mevius (*David*) 26
Meyerberg (*Auguſtinus de*) 75
Monachus *Paduanus* 285
Montaltius (*Ludovicus*) 151
Mornacius (*Anton.*) 175
Muelen (*Guilielm. van der*) 83

N.

Noodt (*Gerard.*) 50, 102, 182, 236, 251, 310, 354

O.

Obrechtus (*Vlricus*) 285
Obſervat. *Hallenſes* 81

Oroſius (*Paulus*) 279
Oſiander (*Ioh. Adam*) 20
Oſſat (*Arnald. d'*) 134, 423
Otto (*Everhardus*) 167
Ovidius 306

P.

Paſcalius (*Blaſius*) 151
Paſſarellus (*Caietanus*) 289
Paulus Servita 64
Perizonius (*Iacobus*) 139, 368
Pin (*Ludov. Ellies Du*) 185
Placette 148
Plutarchus 223, 288
Poiret (*Petrus*) 26
Praſchius (*Ioh. Ludovicus*) 26, 453
Presbeuta 420, 424
Pritius (*Ioh. Georg.*) 26
Proeleus (*Immanuel*) 358
Puffendorffius (*Samuel*) 11, 18, 26, 27, 50, 58, 82, 84, 87, 98, 131, 147, 158, 163, 210, 213, 237, 242, 243, 251, 267, 275, 276, 279, 337, 361, 372, 407, 408, 431, 440, 449, 453
Puteanus (*Petrus*) 218, 230

Q.

Quinctilianus 290

R.

Ricault 423

S.

Salmaſius (*Claudius*) 142
Sarpius (*Paulus*) 64
Scharrockius (*Robert*) 30
Schilter (*Iohannes*) 102, 283, 429
Schultingius (*Anton.*) 310
Seckendorf (*Vitus Ludovicus a*) 26
Seldenus (*Ioh.*) 26, 220
Seneca 36
Sidneius 412
Strauchius (*Iohannes*) 78

Stri-

Strimeſius (*Samuel*) 30
Stryckius (*Samuel*) 228
Svetonius 286
Surita (*Hieronymus*) 119

T.

Terentius 306
Thomaſius (*Chriſtianus*) 20, 102, 119, 122, 163, 197, 200, 203, 229, 237, 259, 280, 365, 368, 440
Thuanus (*Iacobus Auguſtus*) 74, 212,
Thurocius (*Ioh.* 127
Titius (*Gottlieb Gerhard*) 69, 143, 165, 189, 193, 204, 205, 208, 237, 265, 280, 369, 414

V.

Valerius Maximus 288
Vaſquius (*Ferdin.*) 268
Velleius Paterculus 279
Velthemius (*Valentinus*) 30
Velthuyſen (*Lambertus*) 26
Vffelmannus (*Henricus*) 52, 114
Vlloa (*Alphonſus*) 119

W.

Wachterus (*Iohannes Georg.*) 26
Werenfelſius (*Sam.*) 154
Werlhoff (*Ioh.*) 218
Whitby (*Daniel*) 154
Wicquefort 420

Z.

Zentgrafius (*Iohann. Ioachim.*) 26
Zieglerus (*Caſp.*) 153, 281

INDEX

INDEX II.

PRÆCIPVARVM RERVM IN HOC LIBRO CONTENTARVM.

Ablegatorum iura & differentia a Legatis. 427

Abſolutio a iuramentis an recte a ſuperiori concedi queat. 182

a principe & non a iudice eccleſiaſtico ſuſcipienda eſt. 183

Abundantia tollit & minuit rerum pretia. 237

Acanthos; qua ratione controverſia inter Andrios & Chalcidenſes, de eius occupatione orta, decidi debuiſſet. 223

Acceptatio in omni pactione neceſſaria. 106. 114

an pro tertio ab aliquo ſine mandato ſuſcipi queat? 115

an ex parte promiſſarii requiratur? 118. 122

an promiſſori innoteſcere debeat? 122

in pactis rerum publicarum & principum primario conſideranda eſt. 120

an in donationibus ſit neceſſaria. 251

an in lege Cincia præcepta ſit. 300

pro hodierno barbaro adnexu ſtolide venditatur. *ibid.*

an acceptare & acceptatio ſint voces barbaræ. 301

apud Romanos certis ſtipulationum formulis fiebat. *ibid.*

Acceptilatio hodie ſimpliciori ratione i. e. verbis claris aut ſignis certis peragitur. 263, 311

Acceſſio non eſt modus acquirendi dominium, ſed tantum

tum acquiſitionis occaſio. p. 193
eſt vel artificialis, vel fortuita. *ibid.*
quid circa acceſſiones tam induſtriales quam fortuitas in ſtatu libertatis ſit obſervandum. 194, 216, 227
Accipiter in Finlandia cum appenſo Regis Galliæ ſigno captus, an vindicari potuiſſet? 218
Acquirendi dominium modus eſt vel originarius vel derivativus. 185, 191, 202
modus & titulus quomodo diſcrepent. 186
occupatio bellica non eſt. 403, 405
Acquirendi modos cum occaſione acquirendi confundunt veteres JCti Romani. 217
Actiones antecedenter ad voluntatem divinam bonæ an dentur? 6
omnium actionum humanarum principium eſt voluntas. 43
quænam actiones humanæ imputari nequeant. 48
Actio quod metus cauſa quando detur? 53
iniuriarum an e foro ſit proſcribenda? 73
æſtimatoria Germanis quadantenus odioſa apparet. *ibid.*
ad palinodiam ratione nititur non contemnenda. *ibid.*
ob ingratitudinem an detur? 74
iure competens an ipſo iure quoque tolli poſſit. 75
Accuſatio. Ad ſeipſum accuſandum, vel alium, cuius damnatione vita ſibi acerba futura eſt, nemo obſtringitur. 164
Adeſpota an ipſo iure pertineant ad imperantes. 169, 430
Adiaphora an ab arbitrio principis in civitate pendeant? 397
Adiaphora dum impugnantur, ipſum religionis corpus petitur. 397
prudenter mutari poſſunt. 331
Adiunctio eſt acquiſitionis occaſio. 193
Admiralitates: quid de iis ſit ſentiendum? 404

Adoptio: eius forma & finis pro more gentium & contrahentium animi intentione variat. 341
in ſtatu libertatis non eſt prohibita. 346
mos adoptandi a Græcis ad Romanos pervenit. 353
an apud Germanos obtineat. *ibid.*
ad ſucceſſionem in regno, non patrimoniali, a populi voluntate pendet. 346
Cæſarum Romanorum erat modus obliquus graſſandi ad imperium. *ibid.*
Adoptivi liberi quænam iura habeant? 341
Adpromiſſio quid. 312
Adſertio generalis ſ. ſimplex nullam obligationem producit. 107
Adventitii ſtatus facto & arte conſtant. 33, 41
quinam. 41
Adulter quomodo damnum reſarcire debeat? 94, ſq.
Adultera e domo mariti expulſa, aut ultro ſecedens, aut etiam ſoluta, an ab adultero duci poſſit? 95
Adulterium diſſolvit matrimonium. 320, 332
Aedificatio occaſionem dat acquiſitioni derivativæ. 195
